COMMENTATIONIS
DE
CIVITATIBUS NEOCORIS
QUAE
IN NUMIS MAXIME LAPIDIBUSQUE INSCRIPTIS COMMEMORANTUR,

PARTICULA I.

QUAM

AD FACULTATEM

LITTERAS IN ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

DOCENDI

RITE IMPETRANDAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS


AUCTORITATE

DIE XXVIII. M. DECEMBR. A. cIↄIↄCCCXXXXIII.

HORA X.

PUBLICE DEFENDET

J. HENRICUS KRAUSE
PHILOSOPHIAE DOCTOR.



HALIS SAXONUM
TYPIS EXPRESSUM HEYNEMANNI.

Commentatio
de
civitatibus neocoris.

---

§. 1.

Antiquitatum et Graecarum et Romanarum doctrina quum campos latissime patentes eosque uberrimos atque amoenissimos, tum multas complectitur partes, quae nonnullis hoc litterarum genere minime instructis aut leviter imbutis nec magni momenti nec fructuosae esse videntur, ab erudito tamen ac prudente harum rerum existimatore perutiles atque peridoneae censentur ad gentium civitatumque historias accuratius cognoscendas, collustrandas atque explicandas. Quas antiquitatum partes tantum abest ut hic velim enumerare, ut uno acquiescere exemplo abunde mihi sufficiat. Quantam enim, quam egregiam utilemque rerum discendarum copiam numorum veterum thesauri locupletissimi libris multis ac splendidissimis vulgati nobis suppeditent, quam clara luce accuratior eorum cognitio haud paucas obscuriores doctrinae philologicae regiones aspergat, vestigiis monstratis scriptorum veterum interpretes ad verum ducat, egregie adjuvet, instruat, et litteris exaratis et imaginum diversissimarum typis impressis multiplicem illis praebeat supellectilem, si quis reperitur hodie homo doctus qui nesciat, eum si non plane indoctum, in his certe studiis peregrinum jure dixeris. Profecto qui numo-

rum veterum cognoscendorum studio prorsus abstinuit, eum multarum rerum utilissimarum ignarum et haud mediocri interpretationis adjumento destitutum censeo [1]. — Exstiterunt et diu floruerunt civitates veteres, ab antiquitatis scriptoribus aut silentio praeteritae aut vix tribus verbis commemoratae, de quibus numi loquuntur, quarum rempublicam paucis lineis adumbrant ejusque statum atque condicionem testantur. Ut argumentis utar, quis scriptorum veterum quidquam memoratu dignum de Chersonesi Thracum oppidis Cardia et Coela nobis tradidit? Quis de Phrygiae oppidis Sala, Spectorio, Synao, Themisonio, Hyrgalea, Nacolea, Sibidonda exposuit? At permulti conservati sunt numi, qui de illis certa nobis ac luculenta testimonia afferunt, qui typorum inscriptionumque varietate admirabili nos et docere et delectare possunt [2]. Quis de Phygela et Gambrio Ioniae, de Alinda oppido et Calymna insula Cariae, de Blaundo, Tabala et Dalde Lydiae, de Laranda Lycaoniae metropoli, de Vantico Galatiae, de Lacanata Ciliciae, de Traelio et Tyrissa Macedoniae talia in medium nobis protulit, qualia e numis plurimis discimus [3]? Reges etiam atque reginae exstiterunt, quorum nomina numis tantum ad posteritatis memoriam sunt propagata [4]. Quod si temporis computandi rationes diversas, quibus civitates nonnullae uti solebant, respicimus, quis tot fida nobis exoptataque testimonia exhibuit, quam veterum numi? — Verum tamen quum nec instituti sit nostri nec hujus loci, in his exponendis immorari, ad argumentum transimus propositum, id quidem maximam partem e veterum numis repetendum. Perpauca enim scriptores antiqui, Tacito et Dione Cassio exceptis, de civitatum neocoria [5] sub imperatoribus Romanis instituta atque propagata tradiderunt, ita ut omnis haec quaestio tum e numis tum e lapidibus inscriptis maxime sit derivanda.

Quae si cui tenuior fortasse minusve fructuosa videatur, eum pedibus in contrariam iturum sententiam arbitror, simul ac cognoverit, multa numorum veterum millia neocoriae notis esse insignita neminemque de his recte posse judicare, nisi de neocoriae ratione ac significatione edoctum. Praeterea nostra aetate quum saepius acciderit, ut vetus inscriptio aliqua vel in lapide vel in vasculo fictili eruto reperta doctorum hominum dissertationes eliceret: quanto dignior tanta numorum veterum copia, ut eorum inscriptiones diligentius cognoscantur atque dijudicentur. Neocoria ceteroquin per tria fere saecula magno studio atqne contentione celebrata gravis est ac locuples illorum temporum testis, tristissima testis gentium ac civitatum ita subactarum ut salutem nonnisi in imperatorum Rom. benevolentia quaerere atque hinc exspectare cogerentur.

1) Ut non commemorem, eum, qui Graecarum civitatum numos nunquam viderit manuque tractaverit, accurate scire non posse, quousque delineandi, scalpendi caelandique ars apud illas sit progressa.

2) Cf. Mionnet Descript. d. med. ant Gr. et Rom. T. I., p. 426 sqq. T. IV. 357 sqq. Suppl. T. VII., p. 575. 601. 612. 616 sqq. 618. 625.

3) Ibid. T. III., p. 136. 186. V., 131. VI., 443 sqq. VII., 341 sqq. 436 sqq. 657. Suppl. T. III., 172. VI., 443 sqq. VII., 147 sq. Nonnulla de illis oppidis, ut de Calymna insula Cariae, in lapidibus etiam inscriptis reperiuntur. Cf. Boeckh. C. I. n. 1267.

4) Exempla praebent nonnulli Parthorum et Siculorum numi. Numum aureum Siculum Thesaurus Berolinensis custodit, qui reginae alioquin ignotae nomine inscriptns est. Nomen haud recordor.

5) Hic exponere lubet, cur hac in commentatione voce neocoria potius quam neocoratus usus sim. Νεωκορία vox est Graeca, quamquam seriore demum aetate obvia (Anthol. Maneth. IV, 441. Grut. Inscr. p. LXXXV.), quam Latine neocoria reddere utriusque sermonis cognatio mutuumque commercium permittunt. Neocoratus vero neque Graeca est neque Latina vox, quippe a philologis antiquariisque ad aliarum (ut tribunatus, pontificatus, consulatus etc.) similitudinem formata. Tacitus quidem neocoriam a civitatibus quibusdam impetratam saepius commemoravit, sed hac voce constanter abstinuit. Ne vox neocorus quidem apud scriptores Latinos melioris aetatis reperitur. Plinius e. c. (XXXV, 36, 16.) Megabyzum, apud Xenophontem Anab. V, 3, 6. τῆς Ἀρτέμιδος (sc. Ἐφεσ.) νεωκόρον dictum, simpliciter

appellat Dianae sacerdotem. Graeca vox νεωκόρος in Cyzicenis numis νεοκόρος scripta reperitur, de qua re cf. Liebe Thes. Frid. III, 5, p. 374.

§. 2.

Originem neocoriae indagantibus apud Graecos quidem inde ab antiquissimo tempore usque ad Alexandrum magnum nulla divini cultus a diis ad homines vivos templis adorandos translati certa exempla reperiuntur, quamquam heroes, civitatum conditores, reges potentes, principes rebus gestis maxime illustres post mortem haud raro divinis mactatos honoribus veteres historiarum scriptores testantur. Hinc *νεωκόρος* pristina aetate, i. e. ex quo tempore primum haec vox in usum venerat, nihil aliud significare potuit, quam templi numini alicui consecrati ministrum, famulum, aedituum, cui tutela illius curaque erat mandata [1]. Ut Alexandri vesaniam, sese Jovis Ammonis filium praedicantis, silentio praeteream, post illius aetatem paullatim coeptum est, reges, principes, duces bellandi arte victoriisque claros summis honoribus afficere, solemnia eorum nomine instituta celebrare, advenientes splendide salutare, abeuntes magna pompa prosequi, titulis lapidibus inscriptis inusitata adhuc verborum magnificentia ornare, immo *ΘΕΟΥC*, ut Ptolemaeos, nuncupare, Templa tamen illis adhuc nulla civitas erigere erat ausa. Labente demum civitatum libertate morumque pristinorum disciplina emollita ac soluta, statuae illis frequenter positae, arae excitatae aliaque adulandi genera usu recepta. Jam Lysandro, bello Peloponnesiaco finito, quanti honores a Graecis (victoribus perinde ac victis) sint habiti, enarrare non operae pretium [2]. Athenis ipsis, celeberrima illa libertatis sede, illa omnium virtutum nutrice, artium liberalium atque doctrinarum metropoli, quales honores, quam inauditos regibus post Alexandrum obortis tributos legimus! Demetrium, Antigo-

ni filium, qui repulso Macedonum praesidio, pristinam iis libertatem in breve tempus restituerat, quibus adulationis generibus cumulaverint, si exponere vellem, taedium crearem cuique. Plutarchus, qui Atheniensium insaniam jure perstrinxit, addit haec: *τέλος δὲ τῶν τε μηνῶν τὸν Μουνυχιῶνα Δημητριῶνα καὶ τῶν ἡμερῶν τὴν ἕνην καὶ νέαν Δημητρίαδα προσηγόρευσαν, καὶ τῶν ἑορτῶν τὰ Διονύσια μετωνόμασαν Δημήτρια* [3]. Quum tamen Dromocleides quidam Sphettius eo impudentiae esset progressus, ut Demetrium velut Apollinem de clypeorum in templo Delphico dedicandorum ratione consulendum censeret, vehementer indignati turpis sententiae auctorem necabant [4]. Ex quo apparet, nihilominus modum quendam eos tenendum, decori fines aliquatenus servandos nec divina humanis prorsus miscenda putasse. Hinc nulla apud eos neocoriae sub imperatoribus usitatae vestigia reperta. Graeci Asiatici vero ad omne adulandi genus multo procliviores. Nam Seleuci, Syriae reges perinde ac Ptolemaei Aegypti, illo tempore in numis lapidibusque haud raro *ΘЄΟΙ* appellantur [5], quod apud illos quidem facilius ferendum. — Posteaquam Romanorum arma ubique invaluerant, republica adhuc integra, eorum ducibus, utpote gentium victoribus omniumque rerum arbitris, a subactis civitatibus regibusque domitis summi honores sunt habiti. Nam qui armis pollet, rerum summam tenet mortalibusque sicut daemon est timendus atque colendus, si perniciem a cervicibus amoliri velint. Non statuas solum illis erectas, sed dies festos etiam ludosque in eorum honorem institutos ipsorumque nominibus insignitos legimus. Syracusanos Marcellea celebrasse a Cicerone docemur, in quarum locum ut Verrea succederent, Verres, praetor omnium impudentissimus, effecerat [6]. Utroque exemplo demonstratur, illo jam tempore a civitatibus devictis nihil non factum,

ut urbem victricem, duces exercitu stipatos, senatum populumque benevolentia, adulatione, factis verbisque delinirent eorumque sibi favorem conciliarent. Profecto, si quando Fortunae gentium placuit ludere ac jocari, civitatesque posteris quasi deridendas propinare, id tum accidisse crediderim, quum in eorum honorem, qui maxime iis fuerant infesti ac perniciosi, dies festos celebrarent. Quum haec Syracusis facta sint, quae urbs amplissima et opulenta sub imperatoribus neocoriam minime admiserit, quid in aliis civitatibus Marcelli Verrisque tempore factum esse putemus [7]? Multis annis ante Verrem in Asia, Romanorum provincia, Mucia sunt celebrata, de quibus Cicero l. c. haec memoravit: „Mithridates in Asia, quum eam provinciam totam occupasset, Mucia non sustulit: hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis deorum religione consecratum violare noluit." Quae verba nos praeterea docent, haud leves fuisse ejusmodi honores, sed deorum religione sancitos atque consecratos. Ita Cyziceni Lucullea celebrarunt in Luculli honorem, cujus adventus Mithridatem a Cyzici obsidione gravissima desistere coegerat [8]. Quamquam haud ita magnum intervallum inter ludos festos et templi consecrationem interjectum, ab hac tamen adhuc provinciae civitatesque Romae subjectae abstinuerunt. Pompejum et provinciae multae et Italiae civitates ingenti studio ac benevolentia erant amplexae [9]. Quot et quanti honores omnisque generis ornamenta in I. Caesarem dictatorem adhuc vivum a civitatibus, regibus regulisque sint collata, tum numorum lapidumque inscriptiones testantur, tum conjectura assequi licet: cui interfecto, praesertim posteaquam Octavianus, Antonio devicto, summum imperium invaserat, ut divo, ut heroi inter deos relato, et Romae et in provinciis ingentes honores haberi coepti. Inde ab eo tempore

adulatio in provinciis maxime exorta et quidvis ausa Augustum ejusque patrem divum Iulium diis aequiparabat.

1) De templorum diis consecratorum neocoris infra §. 13. disseremus.
2) Cf. Plutarch. Lys. c. 18.
3) Demetr. c. 12. Plura τῆς τῶν Ἀθηναίων κολακείας genera Demochares apud Athen. VI, 62, f. 252. exposuit. Nec non Thebani ibidem ut κολακεύοντες τὸν Δημήτριον describuntur.
4) Plut. ibid. c. 13.
5) Cf. Spanhem. de praest. et us. num. T. I. p. 419. Mionnet Descr. d. med. Supp. I. VIII., p. 43 sqq. Boeckh. C. I. n. 2617. 2618.
6) Cic. in Verr. II. 4., 64.
7) Huc pertinet, quod Plinius XXXIV, 14 refert, jam Catonis Censorii aetate Romanorum uxoribus in provinciis statuas esse positas. „Exstant Catonis in censura vociferationes, mulieribus Romanis in provinciis statuas poni."
8) Plut. Lucull. c. 23. Appian. de bell. Mithrid. c. 76, p. 754. Schweigh.
9) Dio Cass. XXXXI, 6. τοσαύτην γὰρ εὔνοιαν αὐτοῦ πᾶσαι ὡς εἰπεῖν αἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλεις εἶχον, ὥστε ἐπειδὴ ἤκουσαν αὐτὸν ὀλίγου ἔμπροσθεν ἐπικινδύνως νοσοῦντα, σωτήρια αὐτοῦ δημοσίᾳ θύσειν εὔξασθαι. κτλ. Dio Cass. hoc loco animadvertit, hunc eximium honorem, republica florente, nemini civi Romano contigisse.

§. 3.

Quousque illud civitatum studium paullatim processerit, ex eo quam maxime apparet, quod deorum dearumque nominibus in Augustos Augustasque collatis, novi hujus generis tituli numis lapidibusque inscripti sunt, quod inde ab Antoninis maxime usitatum. Imperatorem e. c. Serapin appellabant, Augustam Isidis, aut Dianae, aut Junonis, aut Cereris (*Δημήτηρ νέα*), aut Vestae nomine mactabant. Messalina e. c. *ΣΕΒΑCΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ* dicta 1). Caracalla et Geta in numis *ΝΕΟΙ ΗΛΙΟΙ* salutati. Domitia, Domitiani uxor *ΘЄΑ CЄΒΑCΤΗ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ* in Smyrnensi numo dicta. M. Aurelius et L. Verus in titulo Laconico *νέοι Διόςκουροι* appellantur. Commodus sese tum Bacchum, tum Herculem, tum Apollinem praedicabat atque in numis ita vestitus conspicitur. Qua-

lem deum imperator maxime colebat aut simulabat, talem eum nonnullae civitates, Asiaticae maxime, in numis adumbrandum putarunt. Sabinae Augustae novae Cereris nomen erat inditum [2]. Quamquam haud imperatorum demum aetati illud usu receptum, sed jam inde ab Alexandri tempore exempla obvia: Alexander ipse tum Jovis Ammonis insignibus, tum Herculis pelle leonina et clava decoratus, qualis in numis adumbratus reperitur [3]. Ita Demetrius Poliorcetes Bacchi habitu et cornibus insignis perinde ac Seleucus I. ταυρόκερως, nec non Lysimachus Herculi similis erat repraesentatus [4].

Templi imperatoribus Romanis consecrandi initium in Asiae civitatibus esse factum constat. Smyrnenses jam bello Punico secundo finito urbi Romae templum erexisse Tacitus refert, qui Smyrnensium legatos Romae in senatu haec dicentes producit: „seque primos templum urbis Romae statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem jam populi Romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe et validis per Asiam regibus" [5]. Haud ita multo post et Alabandenses templum urbis Romae excitarunt, quod ipsi apud Livium testantur: „Alabandenses templum urbis Romae se fecisse commemoraverunt ludosque anniversarios ei Divae instituisse" [6]. Haec tamen exempla honesti speciem prae se ferebant. Tam potentem enim urbem, gravissimis bellis feliciter functam ejusque Genium victricem quidni civitatibus parvulis, quibus illa numinis instar et salutem et perniciem afferre potuit, ut deam adorare licuerit? Smyrna igitur et Alabanda revera urbis Romae erant neocorae, licet neque in numis neque in lapidibus illo tempore, quo templa erecta, eum titulum usurpaverint. De Smyrnae numis neocoriae titulo inscriptis iisque, ut nonnullis visum, ante imperatorum aetatem cusis, postea disseremus.

Augusto imperante haec benevolentiae captandae adulandique ratio jam usquequaque dimanare coeperat, cujus rei testimonium luculentum Dio Cassius nobis exhibet: „Καῖσαρ — — — καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν· αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προετετίμηντο· και τούτους μὲν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ᾽ αὐτοῖς ἐποικοῦσι τιμᾶν προςέταξε· τοῖς δὲ δὴ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας) ἑαυτῷ τινα, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ᾽ ἐκεῖθεν ἀρξάμενον καὶ ἐπ᾽ ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσι ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει, ἐγένετο· ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ᾽ ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι· μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα τοῖς ὀρθῶς αὐταρχήσασιν ἄλλαι τε ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται, καὶ δὴ καὶ ἡρῷα ποιεῖται . . . . . καὶ ἔλαβον οἱ Περγαμηνοὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἱερὸν ὠνομασμένον ἐπὶ τῇ τοῦ ναοῦ αὐτοῦ τιμῇ ποιεῖν" [7]). „Dioni Suetonius egregie adstipulatur his verbis: „Provinciarum pleraeque super templa et aras ludos quoque quinquennales pene oppidatim constituerunt [8]). E Dionis verbis multa discimus, quae apud alios scriptores frustra quaesiveris. Apparet inde, initium illius cultus apud civitates Asianas esse factum atque hinc eum in alias Romanorum provincias dimanasse. Quattuor oppida primarias neocoriae sedes ab Augusto constitutas ibidem legimus, Ephesum et Nicaeam, Pergamum et Nicomediam. Ephesi et Nicaeae civibus Romanis neocororum officio fungi permissum: Pergami vero Asianis, Nicomediae Bithynis templum erigere et utroque in oppido peregrinis, h. e. Graecis subire neocoriam

datum. Ephesiis quidem et Nicaeensibus urbi Romae et I. Caesari templum exstruere concessum: Pergami vero et Nicomediae Augustus sibi ipsi eundem honorem a peregrinis, h. e. indigenis (qui quidem plerumque Graecae originis, antiquitus coloniis huc deductis), tribui passus est. Videmus hic discrimen factum, quod maxime respiciendum: noluit enim imperator prudens a civibus Romanis templum sibimet ipsi consecrari, quod invidiosum et regium, sed urbi Romae et Iul. Caesari. Illud superbum, hoc pietatis officium. Peregrinis tamen permissum, ut imperatorem vivum templo excitato adorarent, quod, ut Tacitus et Dio testantur, et Romae et in Italia erat insolitum, ideoque nec civibus Romanis in provinciis concessum [9]).

1) Spanh. de praest. I, p. 281. Vice versa Thebani *ἱδρύσαντο ναὸν Ἀφροδίτης Λαμίας*, Demetrium *κολακεύοντες*, cujus *ἐρωμώνη* erat Lamia: Athen. VI, 62, p. 252.

2) Mionnet Descr. d. med. XIII, p. 226, n. 1262. et multis aliis locis talia obvia. Boeckh C. I. n. 1316. De titulis Jovi Augusto, Apollini Augusto, Mercurio Augusto etc. cf. Gruter. Thes. Synt. p. 88. Spanhem. de praest. et us. num. T. II, 12, p. 371 seq. — Cf. Athen. IV, 29. Suet. Nerv. c. 59.

3) Cf. Athen. XII, p. 527. Clem. Protr. IV, p. 16. Sylb. Eckh. D. N. VIII, p. 280.

4) Cf. Visconti II, p. 58. pl. 40, 3. 1. Appian. Syr. c. 57. Liban. S. I, p. 301. R. Anthol. Pal. II, p. 654. Plan. IV, 100. Regum Epiphanis nomine appellatorum capita solis radiis circumdata. Visconti II, p. 337.

5) Tacit. Ann. IV, 56.

6) Liv. XXXXIII, 6 (al. c. 8). Apud Mylasa, Cariae oppidum, nuper adhuc templi Romae et Augusto consecrati reliquias repertas testatur Chishull Ant. Asiat. p. 207, cui Eckhelius T. IV. p. 296 fidem habuit.

7) Dio Cass. LI. 20. 8) Aug. c. 59.

9) Tacit. Ann. XV, 74: „nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit. Dio Cass. l. c. *μεταλλάξασι μέντοι κἀνταῦθα --- ἰσόθεοι τιμαὶ δίδονται. κτλ.* Huc Callisthenis verba apud Curt. VIII, 5 referenda: „intervallo enim opus est, ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt."

§. 4.

Romae honoribus immensis in I. Caesarem occisum collatis [1], quidni provinciae intestini belli oneribus miseriisque omnibus fessae, simul ac Octavianus, Caesaris *κληροῦχος* et *ΘΕΟΥ ΥΙΟC* dictus, victor imperiique quasi heres, ex bello civili emerserat, eodem studio et divo patri et filio benevolentiam suam, devotum addictumque animum testarentur? [2]. Itaque et divus Caesar et vivus Augustus in provinciis oppidisque certatim summis honoribus mactati. De regum sociorum studiis ad Augustum omni modo ornandum testimonium Suetonius nobis reliquit: „Reges amici atque socii et singuli in suo quisque regno Caesareas urbes condiderunt, et cuncti simul aedem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt genioque ejus dedicare [3]." Hic tamen princeps ut in rebus plerisque prudenter versatus nimiaque temperare solitus, ita honoribus istis ubique ei oblatis modum statuendum censuit. Suetonius: „Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore [4]." Dio quidem l. c. ea templa quae Augustus Pergamenis et Nicomedensibus exstruere permisit, haud designat ut communia hujus imperatoris et urbis Romae, quamquam urbis notio ex superioribas facile repeti possit et fine dubio repetenda sit, id quod e Taciti verbis elucet: „quum D. Augustus sibi atque urbi Romae templum apud Pergamenos sisti non prohibuisset" Quae quidem Tiberii sunt verba [5]. — Dehinc jam quaeque civitas oppidumve majus opulentiusque benevolentiae ostentandae studio eminere voluit. Favoris exemplum a divo Caesare in filium heredemque derivati Tarsenses praebuerunt, ut Dio testatur: „*Οὕτω γὰρ προςφιλῶς*

τῷ Καίσαρι τῷ προτέρῳ καὶ δι' ἐκεῖνον καὶ τῷ δευτέρῳ οἱ Ταρσεῖς εἶχον, ὥστε καὶ Ἰουλιοπόλιν σφᾶς ἀπ' αὐτοῦ μετονομάσαι [6]). In Italia ipsa eo adulatio progressa est ut civitates quaedam diem, qno primum Augustus ad eas venisset, initium anni facerent, ut Suetonius tradit [7]). Nec non in Galliam illud imperatoris demulcendi studium dimanaverat, ut Lugdunensium insignis ara Augusto consecrata declaravit [8]), quamquam nec in numis nec in lapidibus ullum Galliarum oppidum neocoriae titulo ornatum. Arae tamen illi sacerdotem (Augustalem) additum crediderim, quum et numi et lapides aliis in civitatibus imperatorum sacerdotes (ἱερεῖς et ἀρχιερεῖς) multis titulis ornatos saepissime exhibeant [9]).

1) Cf. Dio Cass. XXXXIV, c. 50.

2) Ephesiorum titulus in lapide repertus I. Caesarem θεὸν ἐμφανῆ καὶ κοινὸν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου σωτῆρα dicit apud Boeckh, C. I. n. 2957. *ΙΟΥΛΙΟC ΘΕΟC* in multis numis reperitur. Augustus pluribus Graecorum titulis *ΘΕΟΥ ΥΙΟC* dictus: Boeckh. C. I. n. 1113. Ita in numis: Mionnet Descr. d. med. I. cf. 466. Tacit. Ann. I, 1. de Augusto: „qui cuncta bellis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit."

3) Aug. c. 60. Quod ad Caesareas urbes attinet, in numis permultas invenimus inde a Pompeji et Caesaris tempore ab imperatoribus denominatas: Juliopolis, Pompejopolis, Caesarea-Augusta, Neo-Caesarea, Sebastopolis, Claudiopolis, Claudio-Seleucia, Flaviopolis, Neo-Claudiopolis, Hadrianopolis, Hadrianotherae, Plotinopolis, Marcianopolis et alias multas. Cf. Mionnet T. I, p. 420. T. II. p. 355. 416. 398. sqq. III, 517. 579. Suppl. I. VIII, p. 420. Olympieion illud, quod Sueton. memorat, Hadrianus demum, maximo aedificandi studio incitatus, perficiendum curavit.

4) Aug. c. 52. Addit. hic: „Atque etiam argenteas statuas olim sibi positas conflavit omnes, exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit."

5) Tac. Ann. IV, 37. 6) Dio Cass. XXXXVII, 26.

7) Aug. c. 59.

8) Strab. IV, 3, 192 Cas. Βωμὸς ἀξιόλογος dicitur accuratiusque illic describitur.

9) Ἀρχιερεὺς τοῦ αὐτοκράτορος in serioris aetatis inscriptionibus frequentissimus nonnunquam eandem paene quam νεώκορος significationem habere videtur. Occupabo hoc loco seriores titulos: Ἱερεὺς Καίσαρος, ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν (M. Aurelii et L. Veri, ut videtur): Boeckh Corp. Inscr. n. 2720. 1162. 1357: ἀρχιερατεύσαντα τοῦ αὐτοκράτορος. n. 2766: ἱερατεύσαντα θεοῦ Τίτου, n. 2771, 2. ἀρχιερεὺς τοῦ Σεβαστοῦ καὶ τῶν θείων προγόνων αὐτοῦ, n.

1363. 1364. 1375. *Ἱερέα γενόμενον θεᾶς Ἀφροδείτης καὶ θεῶν Σεβαστιῶν ἀμεριμνίας*, n. 2778. *ἱερατεύσασαν θεᾶς Ἰουλίας νέας Δήμητρος*, n. 2815. *Ἱερατεύσασαν τῶν Σεβαστῶν ἐκ δευτέρου κτλ.* 2820. B. *Ἱερατεία θεοῦ Νέρβα* in lapide Aphrodisiensi, C. I. n. 277, I. — Non mirum sacerdotes imperatoribus constitutos, quum summorum deorum nomina iis attributa videamus, ut *Ζανὶ Ἐλευθερίῳ Ἀντωνείνῳ Σωτῆρι* in Laconica inscriptione apud Boeckh. C. I. n. 1314. *Σωτῆρα* quidem Gytheatae jam Titum Quinctium Flamininum in lapide reperto nuncupaverant (Boeckh C. I. n. 1325).

§. 5.

Augusti defuncti consecratio celeberrima, numis, gemmis aliisque artis monumentis adumbrata illis provinciarum studiis novam materiam addidit. Tacitus quidem narrat: „Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum datumque in omnes provincias exemplum" [1]. Asiae quidem civitates exemplo minime indigebant, quippe quae jam multos ante annos et Caesari et Augusto templa consecrassent omniumque honorum specimina illis splendida praebuissent. Idem historiarum scriptor postea refert: „Hispaniam ulteriorem missis ad senatum legatis orasse: „ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique ejus exstrueret, „quod imperator haud concessit [2]. Augusto defuncto ab ipso senatu Romae summi honores decreti atque habiti [3]. Quid mirum, provincias Tiberii voluntate intellecta, iisdem studiis ejus animum sibi devinciendum putasse? Nonne Tacitus grave testimonium nobis reliquit, sub eodem imperatore incuriam caeremoniarum divi Augusti jam pro crimine esse habitam [4]? Nam praeter alia Cyzicenis illa etiam negligentia objecta effecit, ut libertatem bello Mithridatico partam amitterent. Tiberius enim non tam pietate quam prudentia divi Augusti honoribus ubique prospexit atque ipse apud Nolam ei templum dedicavit [5]. Imperii initio quidem Tiberius iis in rebus, quae ad majestatis crimen referri potuerunt, minime crudelis videri voluit atque hujusmodi

accusationibus in senatu saepius est adversatus [6]. Quo diligentior idem in conservandis augendisque patris defuncti honoribus et caerimoniis, eo abstinentior in ornamentis solennibus sibimet ipsi oblatis. Templi sibi dedicandi veniam semel tantum dedit eamque dedisse ipsum poenituit, quod ex oratione ejus in senatu habita elucet. Excusat nempe sese, quod Asiae civitatibus idem petentibus non sit adversatus (de quo infra dicemus) pergitque ita: „Ceterum ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum, et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur" etc. Quae omnis oratio temperanter sapienterque dictorum plena lectu est dignissima [7]. Honestum enim ille maxime intellexit, nonnunquam amavit vel amare videri voluit, ingenio tamen recondito in dies ad prava procliviore. Tiberio igitur nulla alia templa in provinciis erecta esse videntur, praeter unum illud Smyrnensibus concessum. —

Prorsus aliam viam Gaius Caligula, cui nec sanctum quidquam nec inviolabile, ingressus est, de quo Dio Cassius haec refert: „*Γάιος δὲ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τῷ ἔθνει τέμενος τε ἑαυτῷ ἐν Μιλήτῳ τεμενίσαι ἐκέλευσε· ταύτην γὰρ τὴν πόλιν ἐπελέξατο, λόγῳ μὲν εἰπών, ὅτι τὴν μὲν Ἔφεσον ἡ Ἄρτεμις, τὴν δὲ Πέργαμον ὁ Αὔγουστος, τὴν δὲ Σμύρναν ὁ Τιβέριος προκατειλήφασι· τὸ δὲ ἀληθές, ὅτι τὸν νεὼν, ὃν οἱ Μιλήσιοι τῷ Ἀπόλλωνι καὶ μέγαν καὶ ὑπερκαλλῆ ἐποίουν, ἰδιώσασθαι ἐπεθύμησε* [8]. Quae verba nos praeterea docent, Caligula imperante Ephesios Milesiosque in neocoris imperatorum nondum esse habitos, quamquam supra e Dione Cassio vidimus, Augustum Ephesiis urbis Romae et Iul. Caesaris templum concessisse. Pergameni tantum et Smyrnenses ibi neocori imperatorii, ut ita dicam, nuncupantur.

quum illis Augustum, his Tiberium templo consecrato adorare esset permissum. —

Verum tamen antequam ulterius progrediamur, numorum lapidumque testimonia respiciamus quaeramusque, quando Pergameni revera Augusti neocori, hujus dignitatis titulum in numis ostentare inceperint. *IЄPA CYNKΛHTOC. ΘЄOC CYNKΛHTOC. ΘЄΛ PΩMH.* republica Romanorum adhuc florente in Pergamenis numis saepissime reperiuntur [9]). Quod quidem minime mirum si Attalorum amicitiam mature cum Romanis junctam fideliterque servatam, si dicionem auctam, concessa Pergamenis privilegia, Romanos regni istius haeredes recordari velimus. Quin mirum potius, non Pergamenos sed Smyrnenses fuisse primos, quibus in mentem veniret, urbis Romae templum aedificare. Hanc maxime ob causam Augustum iis permisisse, ut urbi Romae et sibi templum commune erigerent, jam supra expositum. Pergamenorum numi illo imperante cusi nullum tamen neocoriae signum praebent, quamquam *ΘЄON CЄBACTON ΠЄPΓΛMHNOI* inscripti atque imperatorem in templo erectum stantem ostentantes [10]). In aliis eorum numis *ΛIBIΛN. HPΛN.* et *IOYΛIΛN. ΛΦPOΔITHN* reperimus [11]). Quo magis miror, quod Mionnetus unum Pergamenorum numum primo latere *IЄPΛ. CYNKΛHTOC*, altero *ΠЄPΓΛMHNΩN Γ. NЄΩKOPΩN* inscriptum ante Augustum collocandum putaverit [12]). Nam quum numi sub Augusto cusi ne simplicis vel primae quidem neocoriae vestigium praebeant, quo tandem modo tertia neocoria ejusdem civitatis ante illum imperatorem locum habere poterit? Itaque eum numum seriori aetati adscribendum censeo. In universum magnopere dubitaverim, an neocoria ista notione ac significatione, quae inde ab Augusti tempore obtinuit, nempe ut totae civitates imperatoris alicujus neocoras sese designarent, ante illius princi-

pis imperium jam in usum recipi coeperit. Ex numis enim lapidibusque nullum certum testimonium derivari potest, nec illam obtinuisse omnino verisimile videtur. Erat adhuc divini humanique cultus discrimen quoddam, erat adhuc pudor quidam animis ex pristino tempore reservatus, qui paullatim evanuit, posteaquam principes pessimi reipublicae Romanae gubernaculum capessiverant atque Romae senatus ipse, augustissimum olim patrum concilium, ad sordidam delapsus erat adulationem. In Pergamenis numis neocoriae certum documentum ante Antoninum pium non reperitur, cujus imperatoris numi et primam et secundam ostendunt neocoriam [13]. Apparet hinc primam neocoriam ad Augusti pertinuisse templum. Seriorem aetatem infra respiciemus.

1) Tac. Ann. I, 78. IV, 37.
2) Dio Cass. LVII, 33. Templum Augusti Romae Plin. XXXIV, 18 memorat.
3) Tacit. Ann. IV, 36. 4) Tacit. Ann. IV, 57.
5) Tacit. Ann, III. 32: „deprecatus primo senatum, ne majestatis crimina tractarentur."
6) Tac. Annal. IV, 37. 38. Θεὸν Σεβαστὸν Tiberium Pergameni in numis, Mytilenenses in lapidibus appellarunt: Mionnet II, p. 595. Boeckh. C. J. n. 2177.
7) Libr. LIX, 28. (Ab editoribus tamen haec verba uncis sunt inclusa.)
8) Cf. Mionnet T. II, p. 519, n. 493. p. 593, n. 538 et all. locc. — De aetate, qua littera C. (sigma lunatum) in numis usurpari coeperit, nolo hic disserere. Hoc tamen certum, Spanhemium (de praest. et us. num. I, 9, 585 seq.) errasse, qui Domitiani demum tempore illam usu receptam numisque inscriptam esse putaverit, quum in numis permultis aliquot saeculis ante cusis illam saepissime reperiamus, si typis Mionnetinis aliorumque non prorsus omnis fides deroganda, quod nemo facere ausit. Ceterum distinguendae sunt Asianae et Graecae civitates. Apud illas nempe maturius invenitur haec littera.
9) Mionnet. T. II. p. 594. n. 591. Suppl. T. V, p. 426 seq.
10) Mionnet. l. c. p. 594, n. 542.
11) Mionnet. T. II. p. 592, n. 528. Si Pergameni, ut Smyrnenses, urbi Romae antiquitus, h. e. ante imperatorum aetatem, templum condidissent, ille numus haberet aliquam probabilitatis speciem, qnamquam incertam ac lubricam, quoad ternarium neocoriae numerum (*Γ.*).
12) Mionnet. Suppl. T. V. p. 438, n. 990: De lapidibus, quibus neocoria inscripta, infra dicemus.

§. 6.

Smyrna ab Aristide perinde ac Luciano *καλλίστη τῶν Ἰωνικῶν πόλεων* dicta [1], reipublicae Romanae robur, vim tenacem ac potentiam in dies magis efflorescentem mature intellexisse videtur, quippe quae templi urbi Romae statuendi consilium multis annis ante cepisset, quam reliquae Asiae civitates tale quidquam cogitare vel moliri essent ausae [2]. Hinc templi Tiberio consecrandi veniam a senatu, imperatore nempe permittente, eo facilius impetrarunt, quum decem aliae civitates eam ut nanciscerentur, legatis ad senatum missis, frustra operam dedissent [3]. Nihilominus ex ingenti numorum Smyrnensium copia ne unus quidem comparet, qui neocoriae in urbis Romae honorem institutae certum quoddam atque luculentum non dicam testimonium, sed vestigium exhibeat [4]. Antiquissimi hujus civitatis numi Prytanum nomina continent, diversis, ut ubique, rerum hominumve imaginibus additis [5]. Illorum numorum aliquot Mionnetus ante Augusti imperium cusos putavit, quorum aetatem haud recte constituisse mihi videtur. Unus eorum in sinistro latere inscriptus est titulo, qui post Augusti demum tempus usurpari coepit, nempe: C*MYP*-*NAIΩN*. *ΠPΩTΩ*N. *ACIA*C [6]: alter eorum haec habet: C*MYPNAIΩN*. *ΠP*. *ACIA*C. *Γ*. *N*E. *TΩN*. CE. (sc. CE*BA*C*TΩN*), qui sine omni dubitatione post Augusti aetatem est collocandus, quum neque *ΠPΩT*. *A*C. neque *Γ*. *N*E*ΩK*., neque *TΩN*. CE*BA*C*T*. ante illius imperium locum habere potuerit [7]. Tertius numus E*Π*. C. *ΦIΛHTOY*. C*MYP*. *Γ*. *N*E*Ω*. et plures subsequentes eadem inscriptione insignes, quos omnes Mionnetus aetati ante Augustum imperantem attribuit [8]. Quibus numis imperatorum tempori assignatis, affirmare possumus, neocoriae titulum nullis Smyrnensium numis ante Augustum vel potius ante Tiberium

esse impressum. Smyrna Tiberio templum consecravit, neocoriam igitur instituit, quamquam inter illos numos sub Tiberio cusos, quos Mionnetus produxit, ne unus quidem conspicitur neocoria ornatus [9]. Quodsi jam ante Augustum Smyrnenses neocoriam usurpassent eamque numis consignassent, profecto mirandum esset, plerasque Asiae civitates sub M. Aurelio demum, sub Caracallo, Al. Severo, Gallieno, Aureliano, Salonino neocoriam concupivisse eamque esse nactas. Immo sexcentis numis docemur, sub his imperatoribus neocoriae instituendae studium fuisse maximum atque civitates maximas opulentissimasque de principatu neocoriae haud mediocri contentione decertasse. Smyrnaeos numos *ΘЄON CYNKΛHTON.*, *IЄPAN CYNKΛHTON.*, *ΘЄAN. PΩMHN* inscriptos recte ante Augustum collocaveris. Ante Trajanum vero in nullis Smyrnensium numis neocoriae signum deprehenditur. Eo imperante unus eorum numus primam neocoriam ostentat *CMYPNAIΩN. NЄΩKOPΩN* [10]. Sub Antonino Pio *CMYPNAIΩN. ΔIC. NЄΩKOPΩN* reperitur [1]), in quo numo tria templa, quorum medium Ephesiae Dianae, conspiciuntur. Smyrnaei igitur sub Antonino Pio secundam impetrasse videntur neocoriam. — Antequam tamen eorum tertiam et quartam neocoriam commemoremus, Ephesum respicere atque inquirere placet, quando hic neocoria prima sit instituta.

1) Aristid. Orat. XIV, 646. Lucian. Imag. c. 2.
2) Vide supra §. 3. 3) Tacit. Annal. IV, 55. 56.
4) De numis ante Augustum cusis haec dico. De lapidibus Smyrnensium infra.
5) Mionnet. T. III., p. 189 sqq. Suppl. T. VI, p. 301 sqq. Unus illorum numorum in altero latere *ΣMYPNAIΩN. ΠPYTANEIΣ* exhibet, qui a Mionneto inter rarissimos numeratus mille francorum pretio aestimatur. Descr. d. med. T. III. l. c. p. 190.
6) Id. T. III. P. 42, n. 1173. 7) Ibid. p. 42. n. 1177.
8) Ibid. p. 214. n. 1185. 9) Ibid. (Suppl.) T. VI. p. 329 sq.
10) Mionuet Suppl. T. VI. p. 340. n. 1687.
11) Ibid. p. 343. n. 1704.

§. 7.

Ephesiae Dianae cultus erat antiquissimus totaque Asia maxime celebratus atque multis coloniis dimissis in plurimas regiones propagatus [1]. Hujus deae, cujus imago antiquissimos Ephesiorum numos ornat, haec urbs quasi nutrix haberi voluit [2]. Quodsi de ulla Asiae urbe opinari nobis liceret, eam numinis tutelaris sui ac primarii neocoram sese dictitasse, de Epheso omnium primum illud foret statuendum, quae Dianam suam maximo et opulentissimo antiquitus colebat templo. Herodoto teste Ephesii miram tutandae urbis rationem fiduciae ac superstitionis plenam commenti sunt, quum Croesus exercitu eam obsideret: *Ἔνθα δὴ οἱ Ἐφέσιοι πολιορκεόμενοι ὑπ' αὐτοῦ ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, ἐξάψαντες ἐκ τοῦ νηοῦ σχοινίον ἐς τὸ τεῖχος* [3]. In nullis tamen Ephesiorum numis quos novimus antiquissimis hujus numinis signa vestigiave neocoriae institutae deprehenduntur, quum sub imperatoribus permulti numi eam testentur. In actis apostolorum etiam haec urbs *νεωκόρος τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος* appellatur [4]. — Augustus quidem, ut supra narratum, Ephesiis permiserat, ut urbi Romae et divo Caesari templum consecrarent: verum tamen nec eam neocoriam numi superstites ullo modo significant, quod maxime mirum. Hinc id conjicere licet, quod Pergamenorum, Smyrnensium, Ephesiorum numi egregie confirmant, sub Augusto quidem imperatorum neocoriam (h. e. divinum cultum templis celebratum) institutam, nondum tamen in numis lapidibusve consignari coepisse, vel rarissime. Primam neocoriam Ephesii Nerone demum imperante numis inscripserunt (N*ΕΡΩ*N. *ΚΑΙΣΑΡ* .... *ΕΦ*. N*ΕΩΚΟΡΩ*N), in quibus templum etiam conspicitur [5]) — Hadriano imperii clavum tenente secunda neocoria in Ephesiorum numis appa-

ret (*ΔIC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ*), quibus templum octo columnis circumdatum adjectum [6]). Secundam istam neocoriam lapides etiam testantur his verbis: *Ἡ φιλοσέβαστος Ἐφεσίων βουλὴ καὶ ὁ νεωκόρος δὶς δῆμος καθιέρωσαν κτλ.* [7]), in quo titulo senatus ac populus ita discernuntur, ut populo tantum neocoria tribuatur, non senatui. Verisimile ergo, illud Ephesiorum senatum mutandum curasse, ne ipse neocoriae officii ac dignitatis prorsus expers videretur neve imperatorem forte offenderet. Hinc alius titulus omnem civitatem designat neocoram: *Ἐφεσίων πόλεως δὶς νεωκόρου τῶν Σεβαστῶν ἡ φιλοσέβαστος βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καθιέρωσαν κτλ.* [8]). Serior titulus sub Sept. Severo exaratus tertiam Ephesiorum testatur neocoriam his verbis conceptus: *Τῆς πρώτης καὶ μεγίστης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας καὶ τρὶς νεωκόρων τῶν Σεβαστῶν μόνων ἁπασῶν δὲ τῆς Ἀρτέμιδος Ἐφεσίων πόλεως ἡ βουλὴ καὶ ὁ νεωκόρος δῆμος καθιέρωσαν κτλ.* (Boeckhio nempe lacunas ita complente [9]). Dianae Ephesiae neocoriam ibi cum imperatorum tertia videmus conjunctam, quod in compluribus aliis numis factum. Quod ad harum neocoriarum ordinem attinet, dubitare licet, num illa neocoria sub Nerone consignata, simplex nempe sive prima ad Augustum ejusque templum, an ad Neronem sit referenda. Quum Nero tamen ab Augusti domo fuerit oriundus, pro certo habendum, illam primam Augusti neocoriam minime negligi potuisse sine periculo, eamque ipsam Nerone imperante Ephesiorum numis esse inscriptam. Quae quum ita sint, mirari licet, per tot annos, tot principibus inde ab Augusto ad Hadrianum usque, nullam novam neocoriam esse institutam. Verum tamen quum nec in aliis civitatibus per hoc temporis intervallum neocoria, nis rarissime, appareat, verisimile provincias civitatesque tum principum Rom. flagitiis atque sceleribus, tum bellorum

civilium incerto eventu ab eo divino honore illis offerendo esse deterritas. Ceteroquin jam supra demonstravi, ferventissimum neocoriae celebrandae studium in provinciis inde ab Antonino Pio demum ordiri, sicut et numis, et lapidibus docemur. Ab Hadriano fortasse praesente Ephesii novam neocoriam impetrarunt, quae utpote secunda in numis sub sequentibus imperatoribus cusis saepissime redit (*ΕΦΕCΙΩΝ. ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ*). Diana Ephesia in templo octo columnis ornato adumbrata, additis imperatorum capitibus, ut Hadriani et Aelii etc. [10]. — Ad Ephesios tamen redibimus, quum de neocoriarum numero in numis lapidibusque designato nobis erit disserendum. — Nunc quidem Miletum consideremus videamusque quando imperatorum neocoriam admiserit, quum haec sit quarta earum urbium, de quibus Caligula ut sedibus templi sibimet ipsi consecrandi cogitavit. Dio Cassius nos edocuit, Caligulam id agitasse, ut templum maximum et splendidissimum, quod Milesii Apollini Didymaeo apud eos sanctissime culto recenter erexerant, sibi vindicaret: quod quidem aut hujus tyranni matura nece atque Milesiorum cunctatione aut aliam ob causam impeditum esse, Milesiorum numi conjicere jubent, Apollinem Didymaeum ejusque templum ostentantes (*ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΔΙΔΥΜΕΥΣ* aut ordine inverso *ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ* [11]). Quando Milesii primam neocoriam sint nacti, nescimus, quum ex numis nullum certum argumentum repeti possit, nec documentis aliis adjuvemur. Secundam neocoriam sub Elagabalo obtinuerunt, testibus numis [12]). Tertia neocoria in eorum numis quum haud compareat, eam non impetrasse videntur. Simplex vel prima eorum neocoria in Pupieni atque Gordiani numis redit [13]).

Haec quidem neocoriarum initia in quattuor illis Asiae civitatibus celeberrimis, cum quibus aliquando

septem aliae Romae in senatu de principatu contenderunt, nempe de venia templi Tiberio erigendi impetranda, quae ut memoratum, Smyrnensibus concessa. Septem illae civitates erant Halicarnassus, Sardes, Tralles, Laodicea, Magnesia, Ilium, Hypaepa [14]), quarum quinque subsequente tempore neocoriam impetraverunt: Halicarnassus sub Caracallo [15]), Sardes jam Hadriani aetate [16]), Tralles Lydiae sub Caracallo [17]), Laodicea Phrygiae Sept. Severo imperante [18]), Magnesia Ioniae neocoram Dianae Leucophrynae sese ostentat in numis sub Alex. Severo cusis [19]). Hypaepa vero templi imperatori alicui dedicandi veniam aut non denuo ambisse aut non obtinuisse videtur, quamquam ejus numi ostendant, eam haud contemnendam fuisse civitatem [20]). Ilium vero quod attinet, quamquam multi ejus numi superstites [21]), quamquam I. Caesar Iuliae gentis originem hinc derivandam simulavit Antoniusque pro impudentia sua in Romanorum concione affirmare haud erubuit [22]), imperatorum tamen neocoriam nullam videtur celebrasse, fortasse propter opum tenuitatem, quum ad illa solennia rite subeunda haud mediocris sumptus requireretur. Iste vero Iliensium numus, quem Vandalius in medium protulit, in uno quidem latere *ΙΛΙΕΩΝ ΔΙϹ . ΝЄΩΚΟΡΩΝ*, in altero *Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ* inscriptus, ut ille contendit, a Mionneto, locupletissimo numorum veterum editore, nusquam commemoratur, neque alius Iliensium numus apud eundem cum ullo neocoriae signo reperitur [23]). Itaque verisimile Vandalium et ipsum elusum et nimis credulum cum Rubenio suo alios elusisse. Ceterum inscriptio *Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ* admodum suspecta nec in aliarum civitatum numis mihi fuit obvia, nec putaverim, I. Caesarem ita se appellari facile passum esse, quum regiae potestatis speciem ubique vitaret atque detrectaret. Illum igitur numum ut dubium

ac suspectum in medio relinquendum ac rei numariae peritis denuo dijudicandum existimo.

Praeter illa undecim oppida de templi jure in senatu certantia subsequente tempore multa alia neocoriam impetraverunt numisque inscripserunt, quorum praecipua enumerare operae pretium.

1) Strabo IV, 1, 179 Casaub. - Cognomina permulta illi deae erant addita, ut Diana Laphria Patrensium, Diana Leucophryne Magnesiae, utraque celeberrima. Cf. Mionnet. T. II. p. 194.

2) In titulo Ephesio apud Boeckh. C. I. n. 2954. A. Ephesus ἡ τροφὸς τῆς ἰδίας θεοῦ τῆς Ἐφεσίας dicta. Numos ejus imagine insignes Mionnet. T. III. p. 84. n. 151 sq. praebet.

3) Herod. I. 26. 4) Cap. 19, 35.

5) Mionnet T. III. p. 93. n. 253 al.

6) Mionnet ibid. n. 388.

7) Boeckh C. I. n. 2965. Eodem modo sequens titulus n. 2966.

8) Boeckh. C. I. n. 2968.

9) N. 2972. Sequentes tituli, n. 2977. 2990. 2992. N. 2993. dubito, num ad secundam tertiamve sint referendi.

10) Mionnet T. IV. p. 97. n. 281. p. 98 etc.

11) Mionnet T. III. p. 167. n. 774. Suppl. T. VI. p. 272. n. 1245.

12) Mionnet T. III. p. 172, n. 801. R . . . *ΤΩΝ. CΕΒ. ΜΙΛΗCΙΩΝ ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ.*

13) Mionnet T. VI. Supp. p. 280. n. 1287. et T. III. p. 173. n. 805.

14) Tacit. Annal. IV, 55.

15) Mionnet Suppl. T. VI, p. 499, n. 314.

16) T. IV, p. 126.

17) T. IV, p. 189. Suppl. T. VII, 474, p. 733.

18) Mionnet T. VII, Suppl. p. 587, n. 458.

19) Ibid. T. III, p. 146, n. 628. Suppl. T. VI, p. 247, n. 1082.

20) Ibid. T. IV, p. 51 sqq. Suppl. T. VII, p. 356 sqq.

21) Ibid. T. II, p. 657 sqq. Suppl. T. V, p. 555 sqq.

22) Dio Cass. XXXXIV, 37.

23) Vandalius Diss. IX, p. 312. Mionnet T. II, 657 sqq. Supl. T. V, p. 555 sqq. Ilienses numos produxit.

§. 8.

Primum Nicaea ac Nicomedia, primaria Bithyniae Pontique oppida, maxime digna quae respiciantur, quum magna numorum ab illis cusorum copia nobis sit conservata. Sicut Ephesiis, ita Nicaeensibus Augustus permiserat, ut ibi cives Romani urbi Romae et divo Caesari templum erigerent atque neo-

coriam instituerent, ut supra (§. 3.) expositum. Numi tamen quos Nicaea cuderat conservati, nec templum ostendunt nec vestigia neocoriae exhibent [1], quamquam Roma Nicephora Caesarisque caput in nonnullis cernuntur [2]. Apparet hinc etiam, haud temere nos supra statuisse, neocoriam illam imperatoriam ea quidem significatione, quae inde ab Antoninis obtinuit, aut nondum fuisse usitatam propagatamque, aut nondum numis lapidibusque consignari solitam. Nicaea, urbs maxima illiusque regionis opulentissima, cujus cives in numis sese *ΠΡΩΤΟΥC ΤΗC ΕΠΑΡΧΙΑC* et *ΜЄΓΙCΤΟΥC. ΑΡΙCΤΟΥC ΝΙΚΑΙЄΙC* praedicabant [3], nullis tamen numis per omnem imperatorum aetatem neocoriae titulum inscripsisse videtur. Nam ne illi quidem numi superstites, qui inde ab Antonino pio cusi, tituli hujus ullum praebent testimonium [4], quum ludos solennes (*ΙЄΡΟC. ΑΓΩΝ.*, — et *ΚΟΜΟΔЄΙΑ*, *CЄΟΥΗΡΕΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ*) saepius in iis designatos videamus [5], qui ubique fere neocoriarum satellites. Miraculi instar itaque numus quidam *ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΕΤΡΑΚΙ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ* inscriptus, qui a Vandalio, auctorem Harduinum professo, ut genuinus absque omni dubitatione est exhibitus [6]. Atqui si reputamus, quae Eckhelius de numis adulterinis docuit, qui a superioribus editoribus pro genuinis habiti ac descripti sunt, illum numum non possumus non pro suspecto habere, nisi error forte ex commutato civitatis nomine sit ortus [7]. Omnium civitatium certe, quae tertia et quarta neocoria excelluere, plurimos habemus nummos prima et secunda inscriptos, plures etiam tertia, quum *ΤЄΤΡΑΚΙ* perpauci tantum exhibeant, quod infra exponemus [8]. Nicaeensium vero nullum alium numum ullo neocoriae vestigio signatum vidimus.

Prorsus alia Nicomedensium ratio. Bithyni ab Augusto veniam templi Nicomediae erigendi atque huic imperatori dedicandi impetraverant. Nihilominus numi Nicomedenses, quorum ingens numerus superstes, M. Aurelio demum imperante celebrata neocoriae primae solennia testantur [9]. Quid ergo? Nonne hinc novum lucramur testimonium, Augusto imperante neocoriam in numis nondum fuisse usitatam, licet re ipsa, templo nempe imperatori consecrato, esset illa dudum instituta? Sub Commodo *ΔΙC ΝЄΩΚ* in Nicomedensium numis reperitur [10]. Caracallo imperatore Nicomedenses *ΤΡΙC ΝЄΩΚΟΡΟΙ* dicuntur [11]. In numis Plautillae atque Getae *ΔΙC ΝЄΩΚ.* redit [12], Sub Elagabalo *ΔΙC*, deinde rursus *ΤΡΙC ΝЄΩΚ.*, in Maesae numis iterum *ΔΙC ΝЄ* inveniuntur [13]. Severo Alexandro imperii habenas tenente, hujus civitatis numi *ΔΙC* et *ΤΡΙC ΝЄ.* promiscue ostendunt [14], quamquam *ΔΙC* saepius obvio quam *ΤΡΙC.* —

Praeterea multa Phrygiae, Lydiae, Mysiae, Galatiae, Lyciae, Pamphyliae, Ciliciae, Syriae oppida numos neocoriae notis insignes cudendos curarunt, quorum magna copia in numorum veterum thesauris conservatur. Hierapolis Phrygiae, magna urbs et opulenta, quae amicitiam (*ΟΜΟΝΟΙΑΝ*) cum Sardibus, Epheso aliisque civitatibus junctam in numis testatur, si Mionneto fidem habere velimus, jam ante Augustum imperantem neocoriam erat adepta, quum ille aliquot istius oppidi numos *ΝΕΩΚΟΡΩΝ* titulo inscriptos ante hujus principis aetatem collocare non dubitaverit [15]. Atqui hic denuo in lubricam illam implicitamque disquisitionem incidimus, quum omnes subsequentes hujus oppidi numi inde ab Augusto ad Caracallum usque plane nullam neocoriae significationem nobis exhibeant. Caracallo demum imperante certa neocoriae signa deprehendimus [16]. Mionnetus quidem illos numos an-

te Augustum collocavit, quia nullo imperatoris capite ornantur. Verumtamen illi numi eo tempore cudi poterant, quo plures de principatu contenderunt, e. c. Othone, Vitellio, Vespasiano bellum civile serentibus, aut Caracallo interfecto, Macrino cum Elagabalo certante, vel ante jam Septimio Severo cum Nigro et Albino de imperio dimicante, etc. Quidquid tamen de illis numis statuendum sit, hoc certum, Mionnetum egregie errasse, quum numos titulo *AKTIA* insignes aetati ante Augustum adscripserit [17]. Actia enim ante Augusti victoriam navalem notissimam nulla commemorantur. Praeterea deus Lunus illis numis additus ad seriorem aetatem pertinere mihi videtur. —

Acmonia, Phrygiae oppidum, ab Alexandro Severo neocoriam adepta videtur [18]. Laodicea inde ab Septimio Severo neocoriam auspicata, ut supra memoratum, in numis senatusconsultum ostentat (*Νεωκόρων δόγματι Συνκλήτου*), quo aliarum civitatum numi destituuntur [19]. Trallium urbs, cujus jam supra mentio injecta, non solum in numis (*ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑCΤΩΝ*), sed in lapidibus etiam *νεωκόρος* nuncupatur [20]. Ancyra, Galatiae metropolis, neocoriam plurimis in numis perbreviter duabus litteris designavit (B. N.): non tamen ante Valerianum seniorem eam in numis Ancyranis deprehendimus, quum ex secunda neocoria eluceat, prima solennia multis annis ante ibi esse celebrata. Magna haec istiusque regionis opulentissima urbs ceteroquin splendidissima solennia *Ἀσκλήπια* celebravit [21]. Laodicea Syriae sub Caracallo neocoriam nacta eam subsequentibus imperatoribus rursus omiserat, ut numi testantur [22]. Cyzicus Mysiae, Luculli tempore clara facta Romanisque admodum amica, numis primam et secundam neocoriam inscripsit. Hic denuo nobis ista difficultas oboritur, quam supra attigimus, quum Mionnetus non solum prima sed

secunda etiam neocoria insignes numos aetati ante Augustum assignaverit [23]. Quod si revera illos numos ante Augustum esse cusos nobis statuendi, eorum neocoriam ad Cererem, maxime ibi cultam, retulerim. Ceterum in eo numo Mionnetus manifestum commisit errorem, qui Capricorni signum ostentat [24]. Quum Capricornus Augusti natales designet, istum numum ante Augustum collocari non posse apparet. Capricornum quidem in numis vario modo rei numariae periti interpretati sunt, sed nulla interpretandi ratio verisimilior quam proposita, cui Liebe etiam adstipulatur (Thes. Frid. c. III., §. 5. p. 55.). — Praeterea Eckhelius etiam intellexit ac jure affirmavit, „numos ante Neronem neocoratum non prodere [25].“ Quae in universum pronunciata nostram sententiam saepius expositam corroborant. —

Tiberio imperante Cyzicenis libertas ademta propter neglectas Augusti caerimonias aliasque caussas, ut supra expositum. Antonino Pio demum regnante in Cyzicenorum numis neocoriae titulus redit vel potius primum certus et indubitatus conspicitur, quum illorum numorum, quos supra memoravi, aetas et neocoria incertae [26]), Septimio Severo regnante Cyziceni sese in numis *Β. ΝΕΩΚ.* designabant, sub Caracallo promiscue, tum simpliciter *ΝΕΩΚ.* Tum *Β. ΝΕ* [27]. Ita sub sequentibus imperatoribus tum primae tum secundae neocoriae titulus commemoratur. Cyzicenorum neocoriam lapides etiam testantur: *τῆς λαμπροτάτης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἀδριανῆς νεωκόρου φιλοσεβάστου* Κυζικηνῶν *πόλεως* [27]. De alia Cyzicenorum inscriptione, quae neocorum sacerdotem commemorat, infra agemus. — Attalia Pamphyliae sub Caracallo, Side vero, ejusdem regionis oppidum perquam celebre, sub G llieno demum neocoriam erat nacta [28]. Eodem tempore Pergam etiam neocoram designatam numi sub Gallieno, Salonina et Salonino cusi

testantur.[29]) Dianae Pergaeae cultus ibi maxime celebris, panegyris cum ludis solennibus frequentissima, asylia etiam cum Dianae templo conjuncta (*ΠΕΡΓΑΙΑC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. ΑCΥΛΟΥ*) numis compluribus significantur [30]).

Philadelphia, si numorum ordini a Mionneto servato fidem habemus, et nisi forte non imperatoris sed numinis alicujus neocoria significetur, jam ante Domitiani imperium hunc sibi acquisiverat titulum. Verum tamen quum hujus oppidi numi neocoria insignes, qui quidem ante Domitianum cusi, nullius imperatoris nomine capiteve sint ornati, eorum aetas certe constitui nequit, nec qualis illa fuerit neocoria, deorum an imperatorum, ullo luculento argumento declaratur. Septimio demum et Alex. Severo imperantibus neocoriae titulus redit [31]). — Caesarea Cappadociae metropolis dicta, sub Sept. Severo neocoriae jus est nacta, cui Gordiano pio imperante secunda addita (*B. ΝΕ*) [32]). — Tarsos, Ciliciae metropolis celeberrima, secundam neocoriam sub Commodo impetrasse videtur, duobus quidem numis testibus ita inscriptis: *ΚΟΙΝΟC. ΚΙΛΙΚΙΑC. ΤΑΡCΟΥ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟ*: altero latere: *ΑΔΡΙΑΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ. ΤΑΡCΟC Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC.* Nescio qua de caussa vel potius qua negligentia singulari Mionnetus eos ante Augustum posuerit, quum manifesto Commodi aetati imperioque sint adscribendi [33]). Primam neocoriam ab Hadriano erat consecuta, sicuti numi Antinoi nomine inscripti testantur [34]), quod simul ex cognomento *ΑΔΡΙΑΝΗ* elucet. Aegae, Ciliciae oppidum, ab Alexandro Severo neocoriae dignitatem impetrasse videtur [9]). *ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Β.* sive *ΔΙC ΝΕΩΚΟΡΩΝ* permulti Perinthiorum numi ostentant, a Mionneto ante Neronis imperium collocati [35]). Attamen quum illi numi nullius imperatoris nomine capiteque sint ornati, eorum aetas admodum incerta. Certum tamen, neoco-

riam a Perinthiis Septimio Severo imperante esse celebratam, testibus numis lapidibusque. Nam *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν νεωκόρων Περινθίων* in uno, *ἡ λαμπροτάτη δὶς νεωκόρος Περινθίων πόλις* in altero lapide reperitur [36]). Boeckhius ibidem addit: „eum neocoratum primum nacti sunt, ex quo Sept. Severus, capta, quae Nigrum amplexa erat, Byzantiorum urbe, hanc ipsam ejusque dicionem donavit Perinthiis, ut narrat Dio in Severo." Dio Cassius rebus illis expositis neocoriae tamen nullam fecit mentionem [37]). Numi sub Sept. Severo cusi Perinthios designant *νεωκόρους*, additis ludorum solennium nominibus (*ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ*). Caracallo imperante secundam neocoriam numis inscripserunt [38]), subsequentibus imperatoribus saepissime repetitam. Philippopolis Thraciae, metropolis dicta, sub Elagabalo demum neocoriae titulum assecuta numisque testata est [39]). Thessalonice sub Gordiano pio sese neocoram nuncupavit, sub Philippo seniore secundam neocoriam nacta [40]). Heraclea Bithyniae sub Alexandro Severo *νεωκόρος* facta, et *Τ. ΠΟΝΤΟΥ* quidem [41]): quum Amasia, quae sese *πρώτην τοῦ Πόντου* jactat, istam dignitatem jam Antonino Pio regnante esset adepta [42]). Macedonia sub Caracallo primae et secundae neocoriae titulo gloriatur (*ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΝΕΩ. Β.* et simpliciter *ΝΕ*) [43]).

Ex hoc civitatium neocorarum conspectu, quo praecipuas tantum attigimus, abunde patet, veteris Graeciae civitates, ut Athenas, Spartam, Argos, Thebas, Arcadiae totiusque Peloponnesi oppida etc. ab illa neocoria imperatoria constanter abhorruisse. Nam licet in nonnullis oppidis templa imperatoribus consecrata exstiterint (cf. Paus. II, 3, 1. 8, 1. VI, 25 1, VIII, 9, 4), *νεωκόροι* tamen nusquam commemorantur, nec a scriptoribus, nec in numis, nec in lapidibus. Praeterea nonnulla illorum templorum ab ipsis imperatoribus excitata esse videntur, ut Antinoi fanum Mantineae ab

Hadriano aedificatum (Paus. VIII, 9, 4.). — Nec apud Germanos hujus cultus reperiuntur vestigia: perpauca exempla in Galliarum Hispaniarumque civitatibus obvia, ut jam supra expositum. Italia templa quidem imperatoribus aedificata atque consecrata vidit, ut illud Augusti apud Nolam a Tiberio dedicatum. Neocoriae tamen nulla usquam mentio, nec in numis nec in lapidibus. Praecipua igitur cultus hujus divini imperatoribus oblati sedes erat Asia, unde in Thraciam Macedoniamque migravit.

Quum certum sit, neocoriae jus a Roma petitum et impetratum, quaeri licet, num ubique, in quaque civitate illud jus senatus decreto sit concessum atque confirmatum. — Novimus quidem exempla in lapidibus numisque scripta, sed perpauca, si magnum illum neocorarum civitatium numerum respicimus. — Marmor Oxoniense Smyrnam designat *γ' νεωκορον τῶν Σεβαστῶν κατὰ τὰ δόγματα τῆς ἱερωτάτης συγκλήτου* [44]. In alio Oxon. marmore: *δεύτερον δόγμα συγκλήτου καθὸ δὶς νεώκοροι γεγόναμεν* [45]. Numos huc pertinentes jam supra memoravimus, Laodicenos nempe neocoriam testantes et *δόγματι συγκλήτου* inscriptos [46]. In Ephesiorum numis haec reperiuntur: *δόγματι συνκλήτου οὗτοι ναοί* [47]. Quod vero Vaillantus putavit, in Perinthiorum numis *Γ. Β.* *γνώμῃ* vel *γράμματι βουλῆς*: *Γ. Γ.* *γνώμῃ* vel *γράμματι γερουσίας* significare, Eckhelius prudenter refutavit [48]. Manifestum quidem testimonium, patres more antiquo de templis provinciarum erigendis atque imperatori alicui consecrandis esse consultos atque decreto facto illam veniam concessisse, praebet Tacitus [49]. Quamquam eo tempore senatus decretum nihil nisi principis erat voluntas libertatis umbra involuta. Nam imperatore renuente senatus templum negabat. Commodo imperante Nicomedenses *παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβον νεὼν τοῦ Κομμόδου ποιήσα-*

σθαι, quod tamen Cleandri studio, plurimum apud illum pollentis, impetratum [50]. — Quae supra de templis Caesari et Augusto in Asiae civitatibus erectis exposuimus, ostendunt Augustum has res arbitrio suo constituisse, licet senatus fuerit consultus, quod neque Dio Cassius neque Suetonius commemorare operae pretium putaverunt [51]. Tiberius libertatis vanam imaginem senatui in hujusmodi negotiis tractandis lubentissime concedere solebat [52]. Quidquid igitur imperatorum aetate his de rebus a senatu decretum, principis arbitrio et voluntate, consensu certe, factum putaverim.

1) Mionnet T. II, p. 450 sqq.
2) Ibid. Suppl. T. V, p. 78. T. II, p. 450. Roma super arma sedens cum titulo *ΡΩΜΗ* n. 208. T. II, p. 450.
3) Ibid. T. II. 451 sqq. T. V, p. 85 sqq.
4) Cf. Mionnet l. c.
5) Ibid. T. II, p. 456 sqq. p. 463. *Διονύσια. Πύθια.* Cf. Suppl. T. V, p. 125 sqq. Ibid. p. 144. n. 832. *Ἀσκλήπια*, p. 151. n. 877. *ΝΙΚΑΙΩΝ. ΑΥΓΟΥϹΤΙΑ. ϹΕΟΥΗΡΙΑ.* p. 158, n. 922.: *ΚΕΝΔΡΕϹΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ.*
6) Diss. IV, p. 315 spp.
7) Eckh. Prolegom. Lips. 1842. Doctr. T. IV, p. 294.: „Si libuisset sinceram meam mercem inquinare exemplis aliis, quae sive Goltzii fraudes, sive iniqua Occonis aliorumque praeconia parturivere."
8) Milesiorum prima neocoria excepta, quam numi non testantur. V. supra §. 7.
9) Mionnet. T. II, p. 470, n. 326. *ΝΕΙΚΟΜΗ. ΜΗΤ. ΝΕΩΚ* Sic n. 330. in numo Faustinae nomine insignito.
10) Mionnet Ibid. n. 335 sqq. Commodo templum Nicomediae excitatum Dio Cass. LXXII, 12 testatur.
11) T. II, p. 473, n. 347. 12) T. II, p. 474, n. 348. 349.
13) T. II, p. 474 sqq. n. 352 sqq. Suppl. T. V, p. 203 sqq. n. 1202 sqq.
14) T. II, p. 475. Inscriptiones lapidum Nicomedensium infra commemorabimus.
15) T. IV. p. 300, n. 603. 605. Suppl. T. VII, p. 568, n. 382.
16) Mionnet T. IV. 304, 627. 629. Stoschius quidem duos libros Antiquit. Thyatir. scripsit, has tamen controversias ad liquidum non perduxit.
17) T. IV, p. 298.: nempe eosdem numos neocoria etiam inscriptos. — De ludis Thyatirenorum publicis cf. Stosch Ant. Thyatir. I, 8, p. 189. —
18) Mionnet T. IV, p. 202, n. 38.: Aesculapio et Hygea in numis adumbratis.

19) T. IV, p. 328 sqq. Non tamen senatus, sed imperatoris imaginem his numis additum videmus, ut n. 770 ibid.

20) Mionnet IV, p. 189. Eckh. T. III, p. 127. Boeckh. C. I. n. 2926. Boeckhii tamen conjecturae, τρὶς νεωκόρου, numi superstites adversantur.

21) Ibid. l. c. p. 385 sqq.

22) Ibid. T. V. 257. Eckhel. T. III, p. 127.

23) T. V, p. 310 sqq. Suppl. — 24) Ibid. n. 201. —

25) Doctr. T. IV, p. 295.

26) Mionnet Suppl. V, p. 320. Neocoria enim illa ad numen quoddam pertinere potest, ut supra significavi.

27) Ibid. l. c. p. 340. 28) Boeckh. C. I. n. 3665.

29) Mionnet T. VII, p. 35, n. 47 sqq. p. 76, n, 233 sqq.

30) Ibid. T. III, p. 468, n. 123.

31) Ibid. T. III, p. 466. Suppl. T. VII. p. 56 sqq.

32) Ibid. Suppl. T. VII, p. 399 sqq. p. 405 sqq.

33) Ibid. Suppl. T. VII. p. 689. 705 sqq.

34) Ibid. Suppl. T. VII, p. 256 sqq. n. 393. 394.

35) Ibid. T. III, p. 625 sqq.

36) Ibid. T. III, p. 545 sqq. Khell Suppl. ad Vaillant. num. Imperat. p. 188.

37) Descr. d. med. T. I. p. 400 sqq. Suppl. T. V, p. 125, n. 720 sqq.

38) Boeckh. C. I. n. 2022. 2023. 39) Libr. LXXIV, 14.

40) Mionnet T. I. p. 404. 405. 41) T. I. p. 417 sqq.

42) T. I, p. 502 sqq. 43) T. II, p. 442 sqq.

44) T. II. p. 335 sqq.

45) T. I, p. 459 sqq. *KOINON* et *KOINOC* ita distinguuntur, ut illud ad civitatum commune quoddam maxime ludorum celebrandorum caussa institutum, hoc vero ad certos quosdam ludos (κοινὸς sc. ἀγὼν) referatur, de quibus alio dicemus loco.

46) N. 5. 6. Cf. Eckhel. Doctr. IV, 297. 47) Ibid. n. 6.

48) Vide supra §. 8. 49) Eckh. Doctr. IV, p. 298.

50) T. IV, p. 298. 51) Annal. IV, 56.

52) Dio Cass. LXXII, 12. 53) V. supra §. 3. 4.

54) Tacit. Ann. III. 60 sqq. IV, 56 sqq.

§. 9.

His expositis eam hujus dissertationis particulam aggrediamur explicandam, quae ab omnibus hujus argumenti interpretibus adhuc difficillima et maxime implicita est judicata, nempe de neocoriarum numero lapidibus numisque addito, nunc aucto nunc imminuto, ita ut certa hujus rei lex vix comprehendi queat. Saepissime enim in civitatium neocorarum numis post τρὶς νεωκ. sub iisdem vel sub sequentibus imperatoribus rursus δὶς, post τετράκις rursus τρὶς, vel δὶς vel simpliciter neocoriam consignatam vide-

mus. Quam difficultatem quum alii alia ratione removere sint conati, nulla adhuc proposita est interpretatio, quin aut prorsus sit improbanda, aut multa ei possint opponi, aut quin multa relinquat obscura. Diversas illas sententias hoc loco enumerare atque dijudicare tum longum est, tum vix operae pretium [1]. Quae Eckhelius, judex alioquin prudentissimus, de neocoriarum fluctuante numero disputavit, vera fortasse haberi possent, si haec omnis quaestio in duobus tribusve numis paucarum civitatum versaretur [22]). Quum vero magna numorum copia diversarum civitatum auctum numerum rursus imminutum ostendat [3]), fortuitis illis caussis quibus Eckhelius putavit, id minime effectum crediderim. Verum tamen ad nostram statim interpretationem accedamus, quae ut opinamur, diversis illis promiscuisque neocoriarum numeris explicandis sufficere poterit, donec melior aptiorve in medium fuerit prolata.

Primum omnium hoc tenendum, cujusvis civitatis neocoriam ab imperatore sive a senatu Romano concessam cum sacrificiis, caerimoniis solemnibus, ludis, fortasse pompa etiam etc. necessario fuisse conjunctam, eamque non quotannis, sed certo quodam eoque majore temporis intervallo denuo celebrari solitam, sive trieterico sive pentaeterico temporis spatio interjecto. Nam quum haud mediocris sumptus ad ea solemnia rite celebranda requireretur, opulentissimis etiam civitatibus anniversaria repetitio grave onus imposuisset. Admodum itaque verisimile, neocorias imperatorias plerumque pentaetericas fuisse, h. e. quarto quoque anno praeterlapso denuo esse celebratas. Omnes vero numi eo anno cusi, quo prima neocoria erat impetrata atque celebrata, sive tempore praeterlapso repetita, simpliciter *Νεωκόρων* (sive *Νεωκόρου* seu *Νεωκόρος*) titulo sunt insigniti. Interjectis vero annis qui numi cudebantur, neocoriae

significatione prorsus carebant. Hinc intelligitur, cur in cujusvis civitatis numorum serie illis numis, qui neocoriam ostendant, multi alii sint interpositi, temporis quidem ratione habita, qui omni necoriae signo destituti aliis typis inscriptionibusque sint ornati. Exemplorum magnam copiam Mionneti opus praebet locupletissimum. Eadem civitas vero quum subsequente tempore secundam adepta esset neocoriam, hujus etiam solemnia celebranda certo tempore praeterlapso redibant, si pentaeterica, quarto quoque anno praeterito. Jam omnes numi, qui eo anno cudebantur (et hanc ipsam ab caussam plurimi eo anno cusi esse videntur), quo secunda neocoria sive primum celebrata seu repetita est, litteris *B* seu *ΔIC* *NЄΩK.* sunt inscripti. Quodsi eadem civitas tertiae neocoriae jus ac privilegium impetraverat (ut Ephesus, Pergamum, Smyrna aliaeque civitates), hujus quoque solemnia constituto tempore transacto redibant, atque numi, qui eo anno, quo illa aut primum aut secundum, tertium etc. celebrata sunt, signati, litteris *Γ.* seu *TPIC. NЄΩK.* sunt inscripti. Qui vero interpositis annis e moneta prodibant numi, nullo neocoriae titulo ornari solebant, quod series numorum cujusque civitatis luculenter affirmat. (Cf. Eckhelii, Mionneti aliorumve opera de veterum numis scripta). — Nonnullae civitates quartam etiam neocoriam, quamquam id raro factum, obtinuerunt, ut Ephesus: hinc numi *TЄTPA KIC NЄΩK.* prae se ferunt, sive illi eo anno signati sint, quo primum neocoriae quartae solemnia celebrata, sive istis annis, quibus eadem sint repetita. — Hac ratione fieri necesse erat, ut post quartam neocoriam tertia, secunda, prima suis quaeque annis rite redirent. Quo igitur anno tertiae vel secundae vel primae neocoriae solemnia repetita sunt, omnibus ejusdem anni numis idem neocoriae numerus est inscriptus (aut *TPIC* aut *ΔIC*, aut simplex *NEΩK.*) — Itaque necesse erat saepissime fieri, ut numis ejusdem civitatis, qui tertiam

et quartam neocoriam impetraverat, nihilominus seriore aetate secundae vel primae neocoriae titulo consignarentur, intermixtis praeterea multis aliis omni neocoriae signo destitutis, quamquam circa idem tempus, sub iisdem, quibus illi, imperatoribus cusis [11]). Hinc elucet etiam cur eo tempore quo Caracallus, Elagabalus, Alexander Severus, Valerianus et Gallienus imperabant, quo neocoriae celebrandae studium maxime ardere coeperat, plurimarum civitatium plurimi numi neocoriae titulo insignes reperiantur, paucioribus interpositis neocoriae signo carentibns. Nam sub illorum imperio plurimae civitates secundam, complures tertiam et nonnullae quartam neocoriam impetraverant, et in universum illa adulatio summam assecuta erat ἀκμήν. Dehinc vero ille fervor paullatim refrigerari coepit, quamquam sub Aureliano adhuc multi numi neocoriae titulo insignes nobis obvii [11]). Praeterea illud tamen non praetereundum est, seriore aetate facile fieri potuisse, ut una alterave neocoria imperatoris alicujus omnibus flagitiis contaminati, ut Elagabali, post ejus interitum omitteretur, praesertim si successoris, ut Alexandri Severi, honesta et proba sentiendi ratio atque vitae integritas omnibus notae, nec ab eo ulla neglectae caermioniae vindicta esset timenda.

Hac igitur interpretationis ratione inita quam in his commentationis angustiis breviter adumbravi, omnes difficultates, quae ex illo neocoriarum numero fluctuante oriuntur, removeri posse puto, quod clarissimarum civitatum exemplis illustrabimus.

1) Plerasque jam apud Eckhelium Doctr. IV, p. 298 sq. expositas invenire licet.

2) Doctr. T. IV, p. 303 sq.

3) Magnopere errat Eckhelius Doctr. IV, p. 305, qui Sardes tantum et Nicemediam commemorat.

4) Eckhelius Doctr. IV, 7. p. 302. seq. refutavit Pellerinium, qui opinatus erat, nonnumquam eodem anno et tertiae et secundae neocoriae solemnia esse celebrata atque hinc ejusdem anni numis et *TPIC* et *B* seu *ΔIC NEΩK* esse inscriptum.

5) Cf. Mionnet T. III. p. 470 all. locis.

§. 10.

Ephesii sub Nerone primam neocoriam ostendunt, uno tantum numo teste superstite, sive illa ad Augustum, cui ibi templum erectum, sive ad ipsum Neronem sit referenda [1]). Subsequentes Ephesiorum numi nobis conservati, sub Vespasiano, Domitiano, Trajano cusi omni neocoriae titulo ac signo carent [2]). Sub Hadriano demum secunda neocoria emergit, multis tamen numis subsequentibus, qui ab omni neocoriae significatione nudi alias inscriptiones vel solam vocem *ΕΦΕΣΙΩΝ* exhibent. — Numi Antoninc Pio imperante signati Aeliique nomine atque capite ornati denuo *ΔΙC ΝЄΩΚ.* praebent, quos rursus multi alii sequuntur omni hujus generis titulo destituti, uno tamen interposito simpliciter *ΝΕΩΚ.*, tribusque aliis *ΔΙC ΝΕΩΚ.* inscriptis [3]). Sub M. Aurelio *ΔΙC* vel *Β. ΝΕΩΚ.* in compluribus numis redit, quamquam multis aliis interjectis sequentibusve eo titulo prorsus denudatis [5]). Eadem ratio numorum L. Veri imagine nomineque insignium. Eodem modo numi Commodo regnante signati *Β. ΝΕΩΚ* admodum frequenter referunt, multis tamen nudis interjectis [4]). Redit *Β. ΝΕΩΚ.* in numis Sept. Severi, Iuliae Domnae et Caracalli, interjectis multis aliis nullam neocoriam testantibus [5]). In numis sub Caracallo signatis tertiae neocoriae titulus censpicitur, lta tamen ut in subsequentibus rursus *ΔΙC* seu *Β. ΝΕ.* reperiatur [6]). Sub eodem Caracallo memorabilis illa inscriptio in uno Ephesiorum numo obvia: *Ἐφεσίων μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων* [7]). Subsequuntur tamen rursus numi Caracalli et Getae nomine cusi *ΤΡΙC* et *ΔΙC ΝЄ.* inscripti, multis aliis interjectis absque omni neocoriae commemoratione [8]). Unus numus *Γ. ΝΕΩΚ.* inscriptus sub Macrino ejusque filio Diadumeniano est signatus [9]). Sub Elagabalo redit illa superbior epi-

graphe: *Ἐφεσίων μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων*, quam rursus simplex N*E*. et *ΔI*C N*E*. sequuntur [10]). Deide denuo in compluribus numis illud *τετράκις νεωκ.* et *μόνων ἁπάσων τετράκι νεωκόρων* reperitur [11]). Sub sequentibus principibus (et viris et mulieribus) rursus *ΔI*C NЄ*ΩK*. saepissime obvium [12]). Sub Alex. Severo *ΔI*C N*EΩK*. et *TETPAK*. reperimus, multis aliis intermixtis sequentibusque numis, quibus ne nimima quidem neocoriae nota addita, plerisque *ΠPΩTΩ*N. *ACIA*C inscriptis [13]). Numi Mamaeae nomine imagineque insignes nullum neocoriae praebent vestigium [14]). Sub Maximino filioque Maximo redit *Γ*. N*E*., quum Gordiani Pii numis et *TPI*C seu *Γ*. N*E*., et simplicem vel primam neocoriam inscriptam videamus [15]). In Tranquillinae numis unus tantum *Γ*. N*E*. ostentat, dum omnes reliqui superstites neocoriae titulo carent [16]). Numi sub Philippo seniore atque Otacilia signati *Γ*. N*EΩK*. praebent, interjectis aliis hoc titulo prorsus nudis. Sub Philippo juniore *Γ*. N*E*. conspicimus, dum reliqui omnes aliis typisque ornati [17]). In numis sub Trajano Decio, Etruscilla, Treboniano Gallo, Valeriano seniore cusis redit nonnunquam *Γ*. *NE*, quamquam aliae inscriptiones, ut *ΠPΩTΩN*. *ACIA*C. vel EΦECI*ΩN*. *TYXH*; vel EΦECI*ΩN*. *AΠΗ*N*H* (carpentum Dianae sacrum) multo frequentiores [18]). Sub Gallieno, Salonina et Salonino aut *Γ* et *Δ*. promiscue, aut simpliciter N*E*. reperitur [19]). — Propositam hanc numorum Ephesiorum neocoriae titulo insignium copiam admirabilem si quis diligentius inspicere velit atque examinare, facile intelliget, ea, quam exposui, interpretione omnia explicari difficultatesque obvias removeri posse, alia vero explicandi ratione, quae quidem in medium proposita mihique sit cognita, haud posse. Nam quod jam commonui, omnes illi numi, quibus nullum neocoriae signum additum, istis

neocoriae titulo inscriptis intermixti, ad eos annos sunt referendi, quibus nullius neocoriae solemnia sunt celebrata. In his alia civitatis privilegia, immunitates, honores, ut *ΠΡΩΤ. Α*CI*Α*C. aut *Α*C*ΥΛ*., aut rerum gestarum memoria, significantur.

Ne tamen unius tantum civitatis exemplo acquiescamus, et Smyrnam respicere placet. Quamquam Smyrnaei, ut supra memoratum, jam M. Porcio consule, urbi Romae templum consecraverant ac postea praecipue hanc ad caussam templi Tiberio erigendi veniam a senatu obtinuerant, tamen in numis inde ab Augusto cusis, qui quidem superstites, nulla neocoriae commemoratio usque ad Hadriani tempus deprehenditur, sub quo primam neocoriam numis inscripserunt [20]. Sub Antonino Pio *Δ*I*C*. *ΝΕΩΚ*. reperitur [21]. Sub Commodo complures numi *Β*. *ΝΕΩΚ*. inscripti, multo pluribus tamen omni neocoriae signo destitutis [22]. Septimio Severo cum Iul. Domna imperante *Γ*. ΝΕΩΚ. nonnulli numi praebent: additis etiam *ΤΩ*Ν *Σ*Ε*ΒΑ*C*ΤΩ*Ν, atque *Θ*Ε*Α*C *ΡΩΜΗ*C C*ΜΥΡ*Ν*ΑΙ*ΩΝ. *Γ*. ΝΕΩΚ. permultis aliis tamen omni neocoriae signo nudis [23]. Ita numi sub Caracallo cusi *Β*. *ΝΕΩΚ*. ostendunt, splendidis nonnulli epithetis ornati, ut: *ΤΩ*Ν CΕ*ΒΑ*C*ΤΩ*Ν Κ*ΑΛΛ*ΕΙ Κ*Α*Ι *Μ*Ε*Γ*Ε*Θ*ΕΙ. C*ΜΥΡ*Ν*Α*Ι*Ω*Ν. *ΠΡΩΤΩ*Ν *Α*CI*Α*C. *Γ*. ΝΕΩΚ. [24]. Sub Alexandro Severo et Mamaea *Γ*. ΝΕΩΚ. *ΤΩ*Ν. CΕ*Β*. etiam *ΠΡΩΤΩ*Ν*Α*C*ΙΑ*C *Γ*. ΝΕ. *ΤΩ*Ν CΕ*Β*. reperiuntur [25]. Sub Gordiano Pio et Tranquillina *Γ*. ΝΕΩΚ. in numis, quorum nonnulli tria templa exhibent [26]. Sub Valeriano, Gallieno et subsequentibus imperatoribus idem numerus obtinebat [27]. Sub Herennio simplex sive prima redit neocoria, multis tamen ubique numis interpositis, quibus nulla neocoriae significatio addita [28]. Atque ut ex tribus civitatibus Asiae celeberrimis exempla deprompta in medium proponantur, numos Pergamenos etiam respiciamus.

1) Mionnet T. III, p. 93. n. 253. In reliquis Neronis numis ibid. et Suppl. T, VI, p. 128 sq. nullum neocoriae vestigium.
2) V. Mionnet. l. c.
3) Mionnet. T. III, p. 96 sq. Suppl. T. VI: p. 141 sq.
4) Ibid. T. III. p. 101 sq. Suppl. T. VI, p. 141 sq.
5) Ibid. T. III, p. 104 sq, Suppl. T. VI, 149 sq.
6) T. III, 105 sq. Suppl. VI, p. 155.
7) T. III, p. 107, n. 349. Suppl. T. VI, 161, n. 542.
8) Ibid. Suppl. VI, 162, n. 548.
9) Ibid. p. 164. 10) Ibid. p. 169, n. 594.
10) T. III. p. 112. Suppl. VI, p. 171 sq.
11) Ibid. p. 173. 12) Ibid. p. 174 sq.
13) T. III, p. 114. Suppl. VI, p. 177 sq.
14) T. III, p. 115. Suppl. T. VI, p. 179.
15) T. III, p. 116. 117. Suppl. VI, p. 180. 182.
16) T. III, p. 119. Suppl. VI, p. 187.
17) T, III, p. 120. Suppl. VI, p. 190 sq.
18) T. III, p. 120 sq. Suppl. II, p. 191 sq.
19) T. III, p. 123 sq. Suppl. VI, p. 199 sq. *Δ* ante *ΝΕΩΚ.* in numis plerumque *ΔΙC* (— *B*) significat, rarissime quaternarium numerum, — *τετράκις*. Nam quae civitates quartam neocoriam impetraverant, hanc singularem atque eminentem dignitatem non ambigua littera, sed plena voce *τετράκις* designare solebant, quum *Δ* ante neocoriae signum frequentissime reperiatur, in earum etiam civitatium numis, quae quartam neocoriam non impetraverant.
20) Mionnet Descr. de med. III, p. 228.
21) Ibid. Sppl. T. VI, p. 343, n. 1704.
22) T, III, p. 274 sq. Suppl. T. VI, p. 346 sq.
23) Mionnet T, III, p. 238 sq. Suppl. VI, p. 353 sq.
24) Suppl. VI, p. 358. n. 1791.
25) T. III, 246 aq. Suppl. T. VI, p. 365 sq.
26) T. III, p. 249. n. 408. Suppl, VI, p. 366, n. 1827.
27) T. III, 250 sq. Suppl. VI, p. 368 sq.
28) T. III, 256. Suppl. VI. l. c. et sq.

§. 11.

Initia vel potius praeludia neocoriae Pergamenae jam supra attigimus (§. 4.) Quamquam venia templi Augusto et urbi Romae dedicandi Pergamenis concessa, nihilominus in eorum numis qui quidem supersunt inde ab Augusto ad Antoninum Pium usque nulla neocoriae signa cernuntur. Augustus tamen *ΘEOC CEBACTOC* praedicatur [1]). Simplex vel prima neocoria in lapidibus commemoratur, quorum aetas hinc ita certe constitui potest, ut saeculum quo sint inscripti, sciri possit. Unus eorum titulorum haec habet: *ἐν τᾷ πρώτᾳ πατρίδι καὶ νεωκόρῳ Περγαμενῶν ὤνκτλ*: alter haec: *ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν*

πρώτων νεωκόρων Περγαμενῶν κτλ [2]). Sub Antonino Pio *ΠΕΡΓΑΜΗ*ΝΩΝ *Δ*IC ΝΕ*ΩΚΟΡΩΝ* in uno tantum numo legitur, multis aliis alia inscriptione ornatis [3]). In numis sub M. Aurelio cusis redit *Δ*IC *ΝΕ*; etiam *ΠΡΩΤΩΝ Δ*IC ΝΕ*ΩΚ*. intermixtis alliis primae neocoriae titulo ornatis [4]). Numi sub Vero signati *Δ*IC *ΝΕΩΚ*. habent, quamquam pauci, quum reliqui omnes alios typos ostendant [5]). Sub Commodo *Β* seu *Δ*IC *ΝΕΩΚ* in plurimis conspicitur numis, redeunte subinde primae neocoriae titulo [6]). Septimio Severo imperante eodem modo et *Β* et simplex *ΝΕΩΚ*. [7]). Numi quattuor Iuliae Domnae nomine insignes *ΤΡΙ*C seu *Γ*. *ΝΕΩΚ*; etiam *ΠΡΩΤΩΝ ΤΡΙ*C *ΝΕΩΚ*. sunt inscripti [8]). Numi plurimi sub Caracallo cusi *ΠΡΩΤΩ*Ν *ΤΡΙ*C seu *Γ*. *ΝΕΩ*K. habent, quamquam multis interpositis secundae et primae neocoriae titulo ornatis [9]). Getae numi *Β*. *ΝΕΩ*K. ostendunt (ibid.). — Elagabali numi *ΠΡΩΤΩ*Ν *ΤΡΙ*C et *Β* et simpliciter *ΝΕΩ*K. prae se ferunt [10]). Numi sub Alex. Severo cusi denuo tertiae neocoriae titulo sunt ornati [11]): omnes fere sub Maximino et Maximo illius filio, sub Gordiano Pio, Trajano Decio, Herennio Etrusco, Hostiliano signati litteris *Γ*. *ΝΕΩ*K. sunt inscripti, in quibus unus Corneliae Superae, Aemiliani uxoris, numus simplex *ΠΕΡΓ* ΝΕ*Ω*K. profert [12]). Sub Gallieno et *ΠΡΩΤΩ*Ν *Γ*. *ΝΕΩ*K. et simplex neocoria inscripta. Sub Salonina et Salonino rursus *Γ*. *ΝΕΩ*K. [13]). His tribus civitatibus nonnullas alias adjungemus, quarum neocoriae multiplicatae breviorem praebent conspectum. Nicomedensium numi sub Alexandro Severo cusi *ΤΡΙ*C. *ΝΕΩ*K: sub sequentihus imperatoribus *ΔΙ*C, sub Valeriano seniore atque Gallieno rursus *ΤΡΙ*C ostendunt [14]). Secunda neocoria jam Sept. Severo imperante instituta videtur, quod e vetusti lapidis titulo conjicere licet: *ἡ μεγίστη καὶ μητρόπο-*

λις καὶ πρώτη Βειθυνίας τε καὶ Πόντου Ἀδριανὴ Σεουηριανὴ δὶς νεωκόρος Νεικομήδεια ἱερὰ καὶ ἄσυλος κτλ [15]. — Cyzicenorum numi sub Caracallo cusi *ΔIC* NЄΩK., simpliciter NЄ, rursusque *ΔIC* NЄ. ostendunt [16]. Primam neocoriam complures lapides commemorant: *γραμματεύοντος τῆς νεωκόρου βουλῆς Αἰμιλίου κτλ.* et *ἐφηβαρχοῦντος τῆς λαμπροτάτης μητροπόλεως τῆς Ἀσίας Ἀδριανῆς νεωκόρου φιλοσεβάστου* Κυζικηνῶν *πόλεως κτλ* [17]. In alio lapide *νεωκόρος τῆς μητροπόλεως* nominatur [18]. Sub Elagabalo Sardianorum numi *TPIC*. *NEΩ*K. habent, sub Alexandro Severo *B*. *NEΩ*K. ita etiam Maximino imperante [19]. Sub Valeriano seniore atque Gallieno *Γ*. N*E*. redit [20]. Milesiorum numi post secundam neocoriam sub Elagabalo celebratam primam rursus sub sequentibus imperatoribus ostendunt [21].

In his omnibus haud facile quidquam reperiri puto, quod sententiae a nobis supra propositae reluctetur, quamquam in serie numorum cujuslibet civitatis multae lacunae, quamquam hujus imperatoris plures sint numi servati, quam illius, quamquam hoc etiam concedi possit, calamitate alicujus civitatis sive bellis sive aliis infortuniis accepta neocoriae solemnia nonunquam prorsus esse omissa vel in tempus opportunius dilata, nonnunquam etiam in bellis civilibus huic vel illi civitati neocoriae honorem esse ademtum, sicut nonnullis admodum sero concessum.

1) T. II, 592, n. 546 sq. 2) Boeckh. C. I. n. 2189. 3548.
3) Mionnet T. II. p. 599. Suppl. T. V, p. 438 sq. 990.
4) T. II, 609 sq. Suppl. T. 445 sq.
5) T. II, 603 sq. Suppl. T. V, p. 445 sq.
6) T. II, 604 sq. Suppl. T. 445 sq.
7) T. II, p. 607 sq. Suppl. T. V. p. 456. sq.
8) T. II, p. 608. T. V Suppl. p. 457.
9) T. II, p. 609 sq. Suppl. T. V. cf. 458 sq.
10) T. II, 614 sq. Suppl. V, p. 467 sq.
11) T. II, p. 609 sqq. Suppl. T. V. p. 458 sq.
12) T. II, p. 615 sqq. Suppl. T. V, p. 468 sqq.

13) T. II, p. 618 sqq. Suppl. T. V, p. 474 sqq.
14) Boeckh. C. I. n. 3771.
15) Mionnt T. II, 618 sqq. Suppl. T. V, p. 474 sqq.
16) Boeckh. C. I. n. 3663. 3665.
17) Ibid. n. 3496.
18) Mionnet T. IV, p. 133 sqq. Interposito numo Mamaeae nomine inscripto atque titulo *Γ. ΝΕ.* insigni: Ibid. p. 135, n. 772.
19) Ibid. p. 140 sqq.
20) Ibid. T. III, p. 172 sqq.

§. 12.

De hinc ad alia quaedam cum hoc argumento arctissime conjuncta accedamus dilucidanda, nempe ad templa in numis, qui ad neocoriam pertinent, haud raro conspicua. Nonnulli enim antiquitatis periti statuerunt, templorum numerum neocoriarum numero respondere, quae opinio permultis numis refutari potest. Reperiuntur quidem nonnulli numi tribus neocoriis perinde ac tribus templis, duabus neocoriis et duobus templis, quattuor neocoriis totidemque templis ornati. Haec quidem in nonnullis civitatibus facta, nulla tamen certa lege ac necessitate, sed magificentiae studio, quum opes sufficerent. Plurimi enim numi obvii, qui contrarium luculenter demonstrant. Numi enim tribus neocoriis insignes reperiuntur, uno tantum vel nullo templo addito: alii primam neocoriam significant, duobus templis additis, alii duo, tria templa ostendunt, nulla neocoria adscripta. Exemplis hoc placet illustrare atque confirmare. Perinthiorum numus unus in altero latere *ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ* inscriptus mulierem ostendit, utraque manu templum tenentem [1]. Hic igitur binis neocoriis bina respondent templa. At ejusdem civitatis complures habemus numos una tantum neocoria, duobus vero templis insignes [2]. Cyzicenorum numus sub Caracallo cusus binas testatur neocorias, uno tantum templo addito [3]. In duobus Nicomediae numis secunda cernitur neocoria, uno tantum templo conspicuo [4], quamquam

ejusdem civitatis numum et tribus neocoriis et tribus templis insignem noverimus [5]). Quin haud pauci reperiuntur numi civitatium nulla neocoria ornatarum, qui nihilominus unum vel plura templa ostendunt, ut Pessinuntiorum numus sub M. Aurelio cusus [6]). Ita Nicaeensium numo neocoria carenti templum additum: ita Macedonum et Milesiorum numi templo ornati, omni tamen neocoriae signo destituti [7]). Unus Ephesiorum numus nullius neocoriae titulo insignis tribus tamen templis est instructus [8]). Ita reperiuntur numi et tribus et quattuor neocoriis, uno tantum templo ornati [9]). Sufficiunt haec exempla ad comprobandum, templa in numis adumbrata minime neocoriarum numero respondere, quod falso complures rei numariae periti opinati sunt. Nec facile fieri potuit, ut quaeque civitas tot templa quot neocorias haberet, quoniam ingens sumptus ad tot templa erigenda necessarius minoribus oppidis tertiam neocoriam adeptis admodum gravis et perniciosus fuisset. Quodsi in magnis opulentisque civitatibus nonnunquam tot templa quot neocorias numis testibus reperimus, id non certa praescriptave lege, sed voluntaria munificentia splendorisque cupiditate factum putamus. Nam quin liceret novae neocoriae impetratae novum excitare templum, nihil impedimento esse poterat, si modo civitas satis opulenta a sumptu impendendo non abhorreret. —

Verum tamen quum commentationis hujus fines angustiores haud permittant nec id requiratur, ut de omnibus iis rebus, quae cum neocoria cohaereant, hic agatur, omnibus reliquis hujus argumenti capitibus libro, quem de civitatibus neocoris edere constitui, reservatis integris atque illibatis, hic subsistendum putavi. Admodum invito tamen mihi, tum temporis tum sumptus ratione habita, persuasum est, ut duas subsequentes paragraphos, alteram de sacerdo-

ibus neocoris, alteram de principatu sive πρωτείᾳ inter civitates neocoras obtinenda scriptam, utramque propter rerum dicendarum copiam paullo uberiorem, hoc loco omitterem, praesertim quum alteram de sacerdotibus neocoris Commentationis hujus initio jam commemoraverim atque lectores illuc delegaverim. Quos etiam atque etiam rogo, ut me hanc ob caussam benigne velint excusatum.

Quod si haec omnis disquisitio de civitatibus neocoris instituta nonnullis hominibus doctis idcirco forte displiceat, quia adorationem illam cum adulatione exquisita conjunctam vehementer improbandam civitatesque neocoras graviter vituperandas censeant, eos rogatos velim, ut Polybii verba I, 4 (καθάπερ ἡ τύχη σχεδὸν ἅπαντα τὰ τῆς οἰκουμένης πράγματα πρὸς ἓν ἔκλινε μέρος καὶ πάντα νεύειν ἠνάγκασε πρὸς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν σκοπόν κτλ.) legant intelligenterque interpretantur. Quod si fecerint, credo ab iis civitates illas neocoras, miseras sane atque afflictas, quas Fortunae imperium fatique tristissimi necessitas urbis Mavortiae arbitrio subjecerat, paullulum excusatum iri. Quas si excusare nolint, illos ipsos haud excusandos putabo, si quis eos ad historias gentium civitatiumque dijudicandas minime idoneos dixerit.

1) Mionnet T. I, 414, n. 333. 2) Ibid. p. 404, n. 275. 276.
3) Ibid. T. II, p. 547, n. 220.
4) Ibid. T. 193. n. 1138. 1139.
5) Ibid. T. II, p. 473. 6) Ibid. Suppl. T. VII, p. 645, n. 68.
7) Ibid. T. II, p. 457, n. 255, p. 473. T. I, p. 460, n. 70. Suppl. T. VI, p. 272, n. 1248.
8) T. III, p. 106. 9) Ibid. T. II, p. 475.

Sententiae controversae.

I.

Vitri pellucidi usum multo vetustiorem esse, quam adhuc docti opinentur, ejusque conflandi artem ab Aegyptiis inventam contendo.

II.

Veteres civitates Graecas, quoad florebant, numorum suorum typos saepius immutasse atque scalptores imaginibus delineandis majorem adhibuisse curam.

III.

Apud Hesychium T.II, p. 230 Alb. v. *Κεραμεὺς ὁ λυκοῦργος* in posterioris vocis locum *ληκυθοῦργος* reponendum censeo.

IV.

Voces *αἴνιγμα* et *γρῖφος* accurate distinguendas esse contra Beckeri sententiam (Charicl. I, 474) censeo.

V.

Veteres statuarios aeris miscendi fundendique artem melius quam recentiores artifices calluisse.

VI.

Apud Arrianum (Al. Exp. VII, 13) pro *Κίμωνος* scribendum *Μίκωνος*.



VII.

Nullam regionem antiquitus tot artes exercuisse, tot habuisse opifices industros, tot Romam merces misisse diversas quam Aegyptum censeo.

VIII.

Cabirorum cultum e Pelasgorum religione antiquissima emanasse.

IX.

Callisthenem Olynthium innocentem Alexandri jussu esse trucidatum.

X.

Graecorum fabulas a recentioribus pictoribus raro feliciter esse tractatas.

XI.

Pleraque eorum vasculorum fictilium, quorum picturae Minervae imaginem et fabulas Atticas ostendant, Athenis orta atque hinc tum per victores in ludis gymnicis tum per mercatores in Italiam Siciliamque importata esse existimo.
